SYNTAGMA DE PONDERIBUS, ET MENSURIS, IN QUO VETERUM NUMMORUM...

Bartolomeo Beverini

SYNTAGMA
DE
PONDERIBUS, ET MENSURIS,

IN QUO

Veterum Nummorum Pretium, ac Mensurarum Quantitas demonstratur:

In gratiam Studiosæ Juventutis

A BARTHOLOMÆO BEVERINI LUCENSI

Congreg. Matris Dei

EX PROBATISSIMIS COLLECTUM.

Opus Posthumum.

NOVISSIME ACCESSIT

DE ROMANORUM COMITIIS

TRACTATUS

Ex nonnullis ejusdem Authoris Elucubrationibus excerptus.



LUCÆ, MDCCXI.

Typis Peregrini Frediani.

SUPERIORUM LICENTIA.

ILLUSTRISSIMO DOMINO

VINCENTIO

NIERIO

PATRICIO LUCENSI.

NON ægrè hucusque privata in Bibliotheca delituisse crediderim Beverinium; si tantæ mo-

† 2 ræ

ræ pretium erat Te in
ſui Patronum adſciſcere.
Magnæ res magno negotio comparantur: nec in
tanta præclariſſimorum
Hominum copia parvi
momenti erat unum deligere, quem Virtus ipſa
præ cęteris commendaret.
In Te autem, & Parentum
gloria, & egregia, qua excellis liberalium artium
cognitio ita unanimiter
confluxere, ut, & ad tranſacti temporis invidiam,
& ad futuri exemplar ortus videaris. Tibi ergo,
ſuo ſat Autoris nomine

ce-

celebratum, Opuſculum ſiſto; ut Tibi, cæteriſque omnibus in promptu ſit, quidquid in ſalebroſis, laciniosiſque aliorum Scriptorum voluminibus reperitur. Melioribus ſanè auſpiciis mea erga Te obſervantia palàm fieri nequibat; utpote quæ nulla alia re, niſi Tua veneratione, ſpectabilis, tanti ſaltem Autoris præſidio commendabitur. Vale.

Lucæ è noſtro Colleg. S. Mariæ Cortiſorland. 6. Decemb. 1711.

Addictiſs. & Obſeq. Famulus
Sebaſtianus Pauli.

CAN-

CANDIDO LECTORI
Sal.

QUæ de Ponderibus, & Mensuris à plerisque doctissimorum Virorum hactenus tradita sunt, ea subtilitate, ac implexarum Quæstionum morositate tractantur, ut præterquam à cæteris vacuos, ac profundæ Literaturæ Homines nimia difficultate à cognitione deterreant. Indè mihi consilium, dum Professoris munus, me commodis studiosæ Juventutis addiceret, ut quidquid laboris, ac tædii in re tam obscura, ac salebrosa reperiretur ipse haurirem. Juvenis autem, jam emollito clivo, faciliorem haberet ascensum: ac fractis, rei ictisque aliena manu putaminibus, purum ipse nucleum eruditæ cognitionis exciperet. Fecimus igitur, ac non sine maximo labore libris eorum, qui hac de re scripserunt, diligentissimè pervolutis, illud in tanta opinionum varietate selegimus, quod majoribus rationum momentis insistere judicavimus. Itaque circumscriptis, detractisque disputationum laciniis hic in angusto Clavo brevis

vis Commentariolus, quem una manu capies, excerptus. Nec tamen sic adstricti fuimus, ac tam avarè pepercimus verbis, ut nobis, veluti ex Tripode loquentibus, assentire voluerimus Lectorem contumacioris ingenii, rem tantùm Pythagorea maiestate dixisse contenti, sed subinde insertæ rationes, advocatumque ad exsolvendam fidem veterum Scriptorum Patrocinium. Siquidem vix brevis hic Commentarius prælegi in scholis cœpit, cum certatim omnes indè sibi exempla flagitare: Viri etiam magnæ autoritatis, ut vulgaretur obnixè hortari. Diu quidem Amicorum voces aure surda transmisi, nec ita frangi constantiam meam sum passus, ut cruda adhuc studia, ac recens ab incude opus properata editione urgerem in publicum; cogitans cum magno illo Sapiente: quam magnum sit venire in manus Hominum: *quamque periculosum spontè subire Vulgi sententiam, plerumque sinè cognitione, rarò sine malignitate, censentis. Verùm, cum præter spem nactus aliquid otii limam rursus secundis curis adhibuissem; oculis etiam doctorum Virorum usus, qui semper in alieno plùs vident, adultum iam filium abire è patria potestate permisi. Tuum erit, Lector,*

ctor, candida humanitate illum excipere; & si quid, undè proficere possis, secum feret, utilitatibus tuis natum à calumnia defendere. Nam, si quid tu plùs, aut aliter sapis, hoc velim ne nescias, tibi non scripsimus: nec manus conserendi, aut otium habemus, aut animum. Licèt ex eo scombris tunicam, aut piperi cucullum conficias nemo coget, ut venias ad interdictum, aut intentabit malæ tractationis judicium. Unum impetrare liceat: quandò tibi per nos fas est cum tua sapientia pacatè vivere, nobis quoque permissum sit arbitratu nostro, & sinè rixa desipere.

CAN-



CANDIDO LECTORI

PROLUSIO.

Quoniam frequens eſt apud Scriptores veteris ævi tam Latinos, quàm Græcos, prçcipuè autem Hiſtoricos, rei Nummariæ mentio, ne ſemper Juveni hærendum ſit, & in materia, ut ait Pineda lib. 5. de reb. Salom. cap. 5. *incredibiliter controverſa*, *& dubia*, non ſine tædio, & mora, ex implexis quæſtionibus ſumma exputanda, facturum me, ſi non pretium, ſaltem compendium operæ duxi, ſi diligenter eorum libris, qui accuratè, & egregiè hac de re ſcripſerunt pervolutis, Budęo præſertim aureo de Aſſe commentario, Roberto Cenali tract. de menſ. & ponder., Villalpando to. 2. Apparat. in Ezechiel. Alcaſario veſtigat. de ſacris Pon-

 der.

der. ac Menſ. edita ad calcem Comment. in Apocalypſim, & Cornel. à Lapide in tract. de menſ. & ponder. Commentariis in Pentateuchum adnexo, brevi velut abaco, veteres omnes Nummos, eorumque pretia proponerem: ea facilitate, ut etiam rudiſſimis in expedito foret, ſummam quamlibet ad calculos revocare, & noſtrorum temporum monetæ æſtimationi componere. Quod ut minimo Juvenum labore fiat operæ, in ſtudiis præcipuè, parcentium, meliori, fortaſſis, ordine omiſſo Nomenclaturæ ſeriem per capitales literas ſequar, ſi non aliam, habiturus certè gratiam officioſæ voluntatis.

Verum antèquam id aggrediar, non ab re judicavi de Pecuniæ origine, nonnulliſquè ad eam ſpectantibus pauca præfari, quibus, ſinè dubio, iis, quæ mox dicentur, non levis accedet commendatio. Primis igitur, ac aureis Mundi temporibus, cum nulla adhuc habendi cupiditas mentes hominum corrupiſſet, omnia erant in medio poſita, ac publicis uſibus naturæ lege in commune conſulentis, patebant: idque ex communibus bonis tantum ſibi quiſque, quantum ad vitæ, cul-

cultuſque rationem opus haberet, prohibente nullo, capiebat. Sed cum priſcis moribus paulatim dilapſis, candida illa, & innoxia ſimplicitas ſimul obſoleviſſet, avaritia inſtigante, qui viribus præſtabant, publicas utilitates in privata commoda vertere; & ea, quæ pertinebant ad genus hominum univerſum, ad ſeſe trahere cœperunt, cæteros per injuriam arcentes: undè rixæ, diſcordiæque, publicam rem rapientium, ac vindicantium exortæ: donec Terrarum Orbem in partes dividere, ac ſingulis portionem quandam addicere, quam velutì propriam, ac ſuis commodis deſtinatam, quiſque poſſideret, certis finibus, limitibuſque concluſam, pacis interfuit. Atque ita, communi nempe Gentium jure rerum proprietatem inductam, ac indè exortam Juſtitiæ commutativæ rationem cenſent Theologi. Lugo to.1. de Juſt. & Jur. diſput. 6. ſect.1. Molina to.1. de Juſt. & Jure tract.2. diſput.20. & alii.

Cum autem brevioribus ſpatiis dominatione contracta, non omnia apud omnes, ſed alia apud alios naſcerentur ad uſum vitæ neceſſaria, indè cœptum conſilium, ut rerum qui-

bus alii abundabant, carebant alii, facta invicem permutatione, vitam, ut antè commodè tolerarent: eaque ratione accepta per eam publicarum rerum divisione damna rependerent. Id autem per multa tempora mansit in populis institutum, nam & sacræ Literæ testantur Gen.33. emptum à Jacobo agrum *centum agnis*: Licèt quidam hunc locum ad nummos referant agnorum imagine signatos, ut ait Pererius in cap.33. Genes. n.19., quemadmodum etiam apud Basileenses denarius appellatur Corvus, ut notat Lippomanus in catena in Job; & generatim Pecunia à Pecudibus dicta, quod eorum imagine signaretur, ut scribit Plin. lib. 33. c. 3. Sed indubitatum habemus hujus permutationis exemplum apud Homerum, qui ex Profanis ferè antiquissimus scripsit: nam lib. 6. Iliad. ait à Glauco permutata cum Diomede arma: *valentia centum boves, cum valentibus novem boves*: & lib. 7. ait Græcos vinum mercatos alios *ære*, alios *ferro*, virgis nempè æris, ac ferri, ut notat Alex. ab Alex. lib.4. c.4. alios *coriis*; alios *bobus*.

At fodinis inventis desitum est

aliis

aliis mercibus merces permutare; ſed homines ſplendore metallorum capti, illa in emptionibus adhibuerunt: primùm quidem rudibus virgis ad libram appenſis, & nulla nota ſignatis, ut apud Græcos Troiano bello factum, ex Homero vidimus: & apud Romanos partim teſtantur Hiſtorici, in quibus *æris gravis* nomen, ſic enim appellabant rudes illas, & informes metallorum maſſas, ſæpiſſimè occurrit. Sic Livius lib. 4. *Quia argentum*, inquit, *nondum ſignatum erat, æs grave plauſtris quidam ad ærarium contrahentes, ſpecioſam etiam collationem faciebant;* & ibidem ait Poſthumium damnatum *decem millibus æris gravis:* quæ quanquam acciderint poſt ſignaturam æris, quam Servius Tullius jam antea inſtituerat, tamen ad antiquum morem firmandum admodum faciunt, tanquam illius, etiam poſt monetæ percuſſuram, manentia veſtigia. Et voces pendendi, impendii, expenſarum, ſtipendiorum, hunc rerum pretia appendendi uſum demonſtrant. Quæ autem ſic comparata erant, empta per *æs & libram* dicebantur unde Horatius:

Si proprium eſt quod quis libra mercatur, & ære

qui mos etiam post signatam pecuniam duravit in iis emptionibus, quæ sunt mancipii, hoc est rerum quas mobiles vulgò appellamus; in quibus, ut scribit Plinius lib. 33. cap. 3. *etiam* nunc libra interponitur; & ante ipsum Varro lib. 6. de ling. lat. & Sueton. in Aug. ait eum Principem ab Agrippa Cajum, & Lucium *per æs*, *& libram emisse*.

Successu autem temporis graves illæ, ac informes metallorum massæ, in plures partes, commodioris usus gratia, secari cœperunt, ponderibus tamen servatis, ut scilicet libra æris, vel argenti in tot frustra divideretur: & quo major esset probatio bonitatis eorum, atque ad avertendas fraudes, aliqua nota publico jure signari. Hæc autem metallorum segmina in rotundam figuram à plerisque gentibus conformata, & hujusmodi publica nota percussa, Nummi, & Pecunia dicta fuerunt: & Nummi quidem à Græca voce *Nomu* hoc est à lege, quod Pecunia legibus sit constituta, ut placet Aristoteli lib. 5. Ethi. cap. 5. Pecunia verò sivè quia, ut ex Plinio retulimus, primò pecorum imagine fuerit signata: quem morem à tem-

temporibus antiquissimis invaluisse nonnulli arbitrantur, eò ducentes preter locum Genesis de Agnis jam adductum, id quod habetur Job cap. ult. ubi dicitur allatam ab amicis Job *unam ovem*, hoc est, nummum à signatura sic dictum, qua de re videndus in eum locum Pineda: Sive, ut Varroni placuit lib.2. c.1. de re rustic. ideo pecunia dicta, quia omnes divitiæ à pecoribus initium habuere: seu, ut placet Donato in 1. Æneid. quod antiquitus ex Boum coriis Nummi conficerentur. Et quidem Lacedemonios ex coriio Nummos habuisse Stobæus est autor cap. 42. ex Nicolao de Moribus; quod etiam tradit Seneca lib.5. cap.14. de Benefic. qui ait à Lacedemoniis *Corium* adhibitum *publica forma percussum*, & ante æris signaturam fuisse in usu, id etiam apud Romanos argumentum est, quod Numa congiarium populo dedit *scorteos asses*, ut Plutarchus est autor.

Quod autem attinet ad notas, quibus Nummi signati, variæ secundum diversas Nationes fuerunt. Nam præter pecudum imagines, de quibus jam dictum est, Athenienses Noctuam Pecuniæ impresserunt, ut scribit Plu-

tarchus. Stater daricus, præter Darii regis imaginem, ſagittas præferebat, ut idem Plutarchus in Ageſilao, & Artaxerxe teſtatur. Germani ſerras, Bigaſque Nummis incuſſerunt, ut ſcribit Tacitus lib. de Morib. Germ. Quidam Gallos, alii Lepores, nonnulli Mulas pecuniæ ſignandæ adhibuerunt, de quibus legendus eſt Alexand. ab Alex. lib.4. c.15. Romani verò primò Navi, ac Jani effigie Nummos ſignarunt, quorum nonnullos ipſe vidi: unde Ovidius 1. Faſt.

.... ſed cur navalis in ære
Altera ſignata eſt, altera forma biceps?

Poſtmodum verò Bigarum, & Quadrigarum, & Victoriæ, adhibuerunt imagines, undè Bigatis, Quadrigatis, & Victoriatis nomen. Demum Principum Virorum effigie, & forma aliqua, ipſorum Virtutes, aut res geſtas referente, Nummos percuſſere.

Cæterùm licet variæ fuerint ſignandis Nummis ſecundum diverſitatem Nationum imagines, in eo tamen omnes conſenſerunt, ut nulli pæcuniæ ſignandæ, niſi Principibus, Rebuſquepublicis jus eſſet: in eoque Gentes univerſæ maximè laborarunt, ut

ut à privatorum manibus publicum hoc, ac regium munus, decuſquè intactum ſervarent : graviſſimis pœnis, etiam capitis, ac ignis adverſus eos latis, qui non modò falſam, ac adulterinam pecuniam cudère, ſed etiam contrà illos, qui forma, ac pondere ſervato, ſinè publica autoritate nummos ſignaſſent. Qua de re videndi Juriſconſulti ad l. *Quoniam*, & l. *Si quis nummos* C. de *Falſa moneta*, & ad L. *Monetarios*, & l. *Quicumque* ff. de *Falſis*. Et Canonum Interpretes ad extravag. Joannis XXII. Prodiens. de Crimine falſi. Et apud Romanos quidem cudendæ pecuniæ præſidebat Magiſtratus peculiaris trium virorum, qui dicebantur Triumviri Monetales, ut ſcribit Pomponius de origine Juris lib.2. §. *Deinde*. Qui etiam æris, argentique, aurique flatores dicebantur; ut etiam in priſcis Nummis videre eſt, in quibus ſic legitur. III. Viri A. A. A. F. F. hoc eſt: Triumviri, Auro, Argento, Ære, flando, feriundo.

Quandò verò ſignandæ pecuniæ uſus incæperit, in obſcuro eſt, aliis alia prodentibus. Illud ſine controverſia affirmari poteſt, eum morem ab antiquiſſimis temporibus invaluiſſe. Si-

Siquidem in ſacris literis Gen.23. dicitur Abrahamum pro agro, quem in ſepulturam uxoris emebat, *appendiſſe pecuniam, quadringentos ſiclos argenti, probatæ monetæ publicæ:* quibus nihil clarius afferri poteſt ad uſum pecuniæ vetuſtiſſimum oſtendendum, ut notat Perer. ad eum locum; qui etiam obſervat illud verbum *appendiſſe* quaſi non ſatis fuerit viro juſti, ac recti cultori pretium ſolviſſe, niſi ad libram nummos appenderet, ut omninò ponderi reſponderent; quemadmodum fieri etiam hodiè cernimus: etenim monetæ, de quarum juſto pondere timetur, ad libræ examen vocantur. In Latio autem Saturnum, ſeu Janum potiùs, pecuniam primò ſignaſſe autor eſt Macrob. lib.1. c.7. Saturn. Apud Romanos verò id egit Ser. Tullius, ut ſcribit Plinius lib.33. cap.3. qui ſextus regnavit.

Materies autem, undè confecta pecunia, plerumque metallina. Ex ferro nummos conficere Spartanis præſcripſit Lycurgus, ut ſcribit Plutarchus in Lycurgum. Ex eadem materia confectos à Numa Pompilio Romanorum Rege ſcribit Suidas ex Tranquillo, & Byzantiorum nummum fer-

reum

reum fuisse, refert Cœlius lib. 10. c. 2. Antiq. Lect. Stanneam pecuniam Syracusis in usu fuisse autor est Aristoteles in Pec. Æreos nummos per longa tempora usque ad Pyrrhi victoriam tantummodò adhibuere Romani, ex quo tempore argentum cudi cœptum, ut Plinius testatur. Deindè Livius Drusus æs argento mistum in pecuniam adhibuit: ac denique aurum post sexagesimum secundum annum ab argenti signatura apud Romanos excusum, ut idem Plinius est autor.

Cæterùm, & ex rebus aliis confectos nummos legimus. Coriaceos fuisse Spartanis, Romanisquè Numæ tempore jam traditum est: ante quem regem scribit Suidas (verbo *Assarius*) Nummos populo scorteos, testaceosque congiarium datos. Apud Gothos etiam, & Sueones per multa sæcula scorteam fuisse pecuniam argenteis stigmatibus compunctam scribit Olaus Magnus lib. 6. cap. 12., & papyraceos regio vultu signatos habuisse nummos, qui ad Catajum Tartari habitant, memoriæ prodit Sabellicus l. 6. Enn. 10. ex Haytono. Sed tandem cupiditatis ingenio discussa barbaries, & auri, atque argenti fulgor cunctarum gentium

tium oculos ſui admiratione perſtrinxit.

Ex pecuniarum uſu, rationes, & numeri, ad earum ſummam colligendam magno ſtudio addiſci cœperunt: & bonarum artium cura ſepoſita, Fœneratorum Jani hæc docentium, diſcentiumque turba fervere: undè non ſine felle ſcripſit Horatius in arte Poet.

Romani pueri longis rationibus aſſem
Diſcunt in partes centum dividere: dicat
Filius Albini, ſi de quincunce remota eſt
Uncia, quid ſupereſt? poteris dixiſſe Triens, heus tu!
Rem poteris ſervare tuam: redit uncia quid ſit?
Semis.......

Et clariſſimorum Scriptorum voluminibus, tineis, blattiſque damnatis, libri tantum Rationibus perſcribendis inter manus, oculoſque verſari. Nam & fuere *Adverſaria*, in quibus abſque ullo ordine rationes adnotabantur tumultuariè, & inconditè, ut quæ Ciceronis teſtimonio in orat. pro Roſc. Comœdo, tantummodò *menſtrua erant*, & ſtatim *delebantur*, quem librum nos appellamus *Stracciafoglio*. Diaria & di-

diurna, quæ & Greca voce *Ephemerides*, in quibus rationes ſingulorum dierum adnotatæ, nobis nunc *Giornale*, qui liber idem cum Adverſariis fuit. Aſconius in 2. verrin. meminit *Diariorum*; & Juvenalis Sat. 6.

.... *Longi relegens tranſacta diurni*. Tabulæ *accepti*, & *expenſi*, nobis *Libro de' debitori, e creditori*. Poſtremò *Codex*, nobis *Libro groſſo, e Scrittura doppia*, in quo rationes ordine diligentiſſimè adnotabantur *manſuræ, & æternæ*, ut ait Tullius, qui omnes hujuſmodi conficiendarum rationum, nominumque præſcribendorum libros accuratè enumerat, quem vide, ejuſque Interpretem Manutium. Demum ad hanc Pecuniariam rationem voces illæ pertinent *Colligere rationes*, quod nos Itali dicimus *Far conti*. Summam colligere, nos *ſommare*. Rationes ſubducere, nos *ſottrarre*. Tabulas conficere, nos *Tener la ſcrittura*. Acceptum & expenſum ferre alicui, nos *dar credito, e debito*. Referre in codicem, nos *mettere al libro groſſo*. Putare, & exputare, nos *tirare i conti al netto*. Aliaque vocabula pecuniis tractandis adinventa, quæ ideo memorare voluimus, ut Latinorum ſcri-

pta

SYNTAGMA
DE
PONDERIBUS ET MENSURIS.

ARgenteus est Nummus Hebraicus, de quo sæpè in sacra Scriptura fit mentio. Sic Genes. 37. Josephus dicitur venditus *viginti argenteis* : & Zachar. cap. 11. habetur: *Et acceperunt triginta argenteos:* sicut etiam in Evangeliis Dominus narratur venditus *triginta argenteis*. Quod attinet ad ipsius valorem Ribera in 3. Oseæ ductus autoritate Budæi, & Alciati putat esse ejusdem pretii cum drachma Attica, quæ Julio moderno æquivalet. Alii, ut innuit Cornelius de mens., & pond. & in cap.26. Matth. duas drachmas Atticas perpendisse contendunt. Cæterùm ut ait Perer. in cap.20. Genes. *Hæc tria, Siclus, Stater, & Argenteus ejusdem pretii, ac ponderis fuerunt, idest quatuor drachmarum.* Siclum fuisse talis valoris testatur Josephus lib.3. Antiq. cap.

cap.12. ubi ait tales esse Siclos apud Judæos, quales apud Græcos Tetradrachmi Attici. Et Philo item Judęus lib. de Decal. asserit triginta Siclos esse centum viginti Drachmas atticas: & pro quinquaginta Siclis Drachmas ducentas. Idem autem fuisse Siclum, ac Staterem disertè tradit S. Hieronymus in cap.4. Ezechiel. his verbis: *Siclus autem, idest stater, habet drachmas quatuor*. Argenteum verò idem cum Siclo, & consequenter cum Statere fuisse, colligitur ex Josepho lib. 7. Antiqu. qui ubi 2. Reg. cap. 18. habetur *Argenteus*, ipse *Siclum* vertit. Præterà LXX. Interpretes eodem modo loquuntur de Siclo, ac Argenteo, siquidem utrumque vocant didrachmum, ut notat Perer. loc. citat. nec proindè sequitur Argenteum habuisse valorem duarum drachmarum, quia didrachmus à LXX. dicitur, nam loquuntur de didrachmo Hebraico, qui fuit Attico duplo major, ut ostendit Alcasar. in vestigat. de mens. & pond. proposit. 19. Unde utrumque verum est, & Argenteum fuisse Tetradrachmum, & Didrachmum respectu diversarum drachmarum, ut infrà latiùs, ubi de Drachma agetur. Fuit
ergo

ergo excommuni ſententia *Argenteus* pretio quatuor drachmarum, hoc eſt, ut omnes, qui de hac re ſcripſerunt, cenſent, quatuor Juliorum. Conciliari tamen poterunt omnes prædictæ ſententiæ, ſi, ut ait Alcaſar. loco citat. quemadmodum nunc cuditur moneta, quæ ſemiſſem Julii valet, alia quæ Julium integrum, alia quæ tres, ſic etiam dicamus fuiſſe apud Hebræos Siclum unius drachmæ pondere, alium duarum, alium quatuor: cum ut ait Arias Montanus apud eundem Alcazar. loc. cit. inventæ fuerint antiquæ monetæ Hebraicæ, aliæ pondere duarum drachmarum, aliæ quatuor. Sed quomodò in ſcriptoribus deprehendi poſſit de quo Siclorum genere loquantur, hoc opus, hic labor eſt. Quarè minor erit erratio, ſi cum communi opinione ſentiamus.

AS quaſi *Æs* ab *Ære* dictus, fuit genus monetæ Romanæ, primum pondere librali duodecim unciarum libræ noſtrati reſpondentium, ut clarius patebit in V. *Mina*; unde pro eodem accipiebantur hæc nomina: *As*, *Libra*, *Pondo*, *Æs*, ut ex antiquorum ſcriptis colligit Budæus, & Cenalis. Fuiſſe autem *Aſſem* à prin-

cipio librali pondere tradit Dyonif. Halicarnaf. lib.9., ubi ait: Menenium mulctatum fuiffe duobus millibus Affium, *quod eft numifma libralis ponderis*. Idem tradit Plutarchus in Camillo, & Plin. lib.33. cap.3. ait, *denarium conftitiffe decem libris Æris*. Quod *Affis* pondus manfit ufque ad tempora primi belli Punici, per annos quadringentos viginti: ante quam ætatem idem erant Decempondo, Decem affes, Æs denus, ac Denarius.

At, cum eo tempore ob fumptus bellicos Refpublica alieno ære gravaretur, ad illud folvendum, ut idem Plinius tradit, *conftitutum eft*, ut affes ex libralibus *fextantario pondere ferirentur*, hoc eft duarum unciarum; hæc enim eft fexta pars libræ, qua ratione à Republica *quinque partes lucri factæ*. Nam quo ære prius *As* unicus, fex deinde cudebantur, manente eadem in affibus fextantariis libralis *Affis* æftimatione. Neque hic minuendi *Affis* modus ftetit; nam fecundò Punico bello Annibale urgente, cum Refpublica in magnis pecuniæ difficultatibus verfaretur, Q. Fabio Maximo dictatore *Affes* ex duumcialibus, unciales facti, *atque ita Refpublica dimi-*

mi-

midium lucrata est : nempè unciam, cum ex duarum unciarum pondere altera esset detracta. Tamen, ut ait Plinius, placuit denarium, qui ab initio habuerat decem *Asses* librales, deindè decem sextantarios, in posterum sexdecim uncialibus permutari: atque ita Denarius ex *Decussi* factus est *decussisexis*, ut scribit Vitruv. lib. 2. cap. 1. *In militari tamen stipendio*, ut idem Plinius tradit, *denarius semper pro decem Assibus* datus est. Adeo severè militibus habitis, ut nihil utilitatis ex pecuniæ mutatione sentirent: sed cum aliis sex decim *Asses* Unciales in singulos denarios darentur, ipsi decem tantum perciperent, ut eum Plinii locum interpretatur Lipsius ad lib. 1. Annal. Taciti. Demum Papyria lege iterum *As* minutus, & ab Unciali, ad semuncialem redactus, manente tamen pretio prioris *Assis*; atque ità factum est, ut *Asses* ex libralibus sextantarii, ex sextantariis unciales, ex uncialibus semiunciales evaderent, tanto Reipublicæ lucro, ut ea portione æris, qua prius unus *Assis* cudebatur, deindè vigintiquatuor cuderentur. Quod etiam à Principibus hujus temporis fieri videmus, qui in

 rei

rei Nummariæ penuria, ponderibus ſtantibus, augent pretia monetarum, atque ità ſeſe alieno ære diſſolvunt.

Hunc *Aſſem* Papyrianum manſiſſe in Romana Republica uſque ad Veſpaſiani tempora putat Manutius in Comment. ad 1. orat. Cic. cum Plinius, qui eo tempore vixit, alterius mutationis non meminerit. Illud certum eſt Auguſti ævo aliud fuiſſe denarium, aliud decem *Aſſes*; quod eſt argumentum fuiſſe adhuc denarium decuſſiſexim, qualis erat Fabianus; & deindè, licet *Aſſis* pondere immutato, Papyrianum fuiſſe credibile eſt: vel ſaltem denarium habuiſſe *Aſſes* duodecim, quod arbitratur Lipſius ad lib. 1. Annal. Taciti. Aliud autem, ut ajebam, Auguſto regnante fuiſſe denarium, aliud *Aſſes* decem liquidò conſtat ex Tacito loc. cit. apud quem Milites poſt Auguſti exceſſum in ſeditionem verſi illud inter cætera quærebantur: *Denis in diem aſſibus animam, & corpus extimari*, proindè petere, ut *denarius diurnum ſtipendium foret*. Nam ſi pro eodem eſſent denarius, & *Aſſes* decem, ridicula ſanè fuiſſet poſtulatio. Quia igitur à tempore ſecundi Punici belli denarius factus

ctus erat sexdecim *Assium*, & milites non nisi decem *Asses* stipendii loco acciperent, indè acciderat, ut plus tertia stipendii parte fraudarentur, quarè per eum tumultum postulabant, ut non denos *Asses* tantùm, sed ut denarium, hoc est sexdecim *Asses*, sivè duodecim, ut putat Lipsius, reciperent. Cæterum etiam Augusti ævo denarium fuisse decussisexim ducor autoritate Vitruvii, qui tunc scribebat, nec alterius denarii mentionem facit, quam denis *Assibus*, & Sexdenis constantis. Quamvis Lipsii conjectura non sit spernenda: nam cum milites solerent Augusti tempore Aureum menstruum accipere, hoc est denarios vigintiquinque, ipsi verò querantur *denis assibus* in dies animam, & corpus æstimari, sequitur eos, si mensis dies habeat triginta, trecentos *Asses* accepisse, ex quibus si vigintique denarii conficiantur, apparebit unicuique denario duodecim *Asses* respondere: nam duodecies vigintiquinque, trecentum efficiunt.

As igitur, ut perspicuitatis gratia dicta in arctum conferam, fuit primò pars decima denarii usque ad secundum bellum Punicum Fabii ma-

ximi Dictatura, quæ incidit in annum Urbis DXXXIII. primum unius libræ pondere, deindè sextantis. A Fabii dictatura usque ad legem Papyriam, *As* fuit denarii pars sextadecima pondere unciali. A Papyria lege usque ad Vespasianum, ultrà quem non invenitur ulla mutatæ pecuniæ ratio, *As* itidem fuit pars sextadecima, vel duodecima denarii, pondere tamen semiunciali. Cæterum secundum istam temporum diversitatem immutatis ponderibus mansit tamen idem pretium: & pro eodem fuere decem Asses sextantarii, ac decem librales: & sexdecim unciales, ac semiunciales ejusdem valoris fuerunt cum denis libralibus, & sextantariis, præter quam in militari stipendio, in quo, ut ex Plinio diximus, pro eodem habiti sunt decem Asses unciales, & semiunciales, ac decem olim *Asses* librales, & sextantarii, & in *Asse* Fabiano, ac Papyriano sexdecim unciales, vel semiunciales.

Itaque cum Juvenis inter legendum Romanas Historias, incidet in *Asses*, ac *Denarios*, vel alias monetas in quas, ut proximè dicetur, *Assem*, ac Denarium dividi placuit, solerti ani-

animo animadvertendum erit, de quo ævo ſit ſermo. Nam ſi ante Fabium maximum, idem erunt decem *Aſſes*, ac *Denarius*: ſi verò poſt Fabium, & Papyrium, idem erit ſexdecim *Aßes*, ac *Denarius*. Quæ obſervatio neceſſaria eſt ad juſtam æſtimationem inventæ ſummæ faciendam.

Quoniam verò Denarius, ut communi conſenſu omnium, qui hac de re ſcripſerunt, conſtatque ex antiquis denariis argenteis ad libram appenſis, Julio moderno æqualis eſt, & Regali Hiſpanico: indè colligitur *Aſſem* libralem, & ſextantarium fuiſſe ejuſdem valoris cum decima Julii parte, quæ appellatur *Bajocco*. *Aßes* verò Fabianos, & Papyrianos fuiſſe ejuſdem valoris cum ſextadecima Julii parte, quæ minor eſt ſolido noſtro Lucenſi: *Aßes* verò Auguſtales fuiſſe duodecimam Julii portionem. Et hoc eſt, quod in re perplexa, afferre potuimus certi, & enucleati.

Cum igitur, ut dictum eſt, ab initio *Aſſes* librali pondere cuderentur, ac proindè genus illud monetæ valdè eſſet incomodum ferentibus, placuit illum in alios minores nummos dividere, qui fuere, *Uncia*, quæ

unam *Aſſis* partem, ſive unciam, ut nomen ipſum præfert, habebat: *Dextans*, qui duas: *Quadrans*, qui tres: *Triens*, qui quatuor: *Quincunx*, qui quinque: *Semiſſis*, qui ſex: *Septunx*, qui ſeptem: *Bes*, qui octo: *Dodrans*, qui novem: *Dextans*, qui decem: *Deunx* qui undecim uncias continebat. Quas *Aſſis* partes, ut ait Manutius loc. cit. credibile eſt immutato *Aſe*, etiam fuiſſe immutatas pro portione: exempli gratia, *Quadrans* cum *As* libralis eſſe deſiit, non fuit amplius trium unciarum, licet fuerit quarta pars *Aſſis* eodem quo prius pretio: in ſextantario *Aſſe* quidem fuit pondere quatuor drachmarum, ſiquidem drachmæ octo unciam conſtituunt. In unciali verò, & ſemiunciali pro portione, ità ut ſemper Quadrans fuerit quarta pars ejus *Aſſis* cujus erat quadrans; & ſic de cæteris aliis dicendum eſt.

Aſſe multiplicato plures nummi percuſſi ex Argento, vel æris argentique miſtura. Nam Duopondius, qui & *Bes*, duos *Aſes* valebat: *Treſſis*, tres: *Quadruſſis*, quatuor: *Quinarius*, quinque, qui etiam dictus *Semiſſis*, quod erat dimidium denarii, & *Victoriatus* à victoriæ imagine: *Senarius*, ſex:

ſex: *Septuſſis*, ſeptem: *Octuſſis*, octo: *Nonuſſis*, novem: *Decuſsis*, decem: indè etiam *Vigeſis*, *Trigeſis*, *Centuſſis*, qui, ipſa nominis indicatura pretium ſuum oſtendunt. *Sextertius* verò duos *Aſſes* cum *Semiſſe* valuit: eo tamen tempore, quo denarius decem *Aſsibus* conſtitit. Nam exindè, ut notat Plin. lib. 33. cap. 3. *Sextertius* quaternos *Aßes* habuit: *Quinarium* verò, ſeu *Victoriatum* octonis placuit æſtimari.

Et, ne aliquid pretermiſiſſe videamur, ultra pecuniariam ſignificationem *As* etiam dicitur quæcumque res integra, ſivè continuis, ſivè diſcretis partibus conflata, quam deindè in partes duodecim dividamus. Sic Veteres, exempli gratia, Hæreditatem *Aſſem* appellaverunt, ejuſque partes uncias: ita ut ille Hæres ex *Aße* diceretur, qui integram hæreditatem acciperet: ille verò ex *Quadrante*, *Beße*, *Semiße*, &c. qui quartam partem, vel duos Trientes, vel Sexuncias reciperet. Sic Cicero in Oratione pro Cecina: *Teſtamento facto mulier moritur: facit hæredem ex deunce, & Semunica Cecinam; ex duabus Sextulis M. Fulcinium libertum ſuperioris viri, Æbutio Sextulam adſpergit*. Quibus ver-

verbis significat Cicero, Cecinam institutum fuisse hæredem ex unciis undecim, id enim est deunx, & præterea ex semuncia. Aliam verò semunciam, quæ ad *Assis* complementum deest, in duas partes inæquales dissectam: datasque duas sextulas, hoc est duas sextas unciæ partes, id enim est sextula, Fulcinio; unam verò sextulam Obutio: tres enim sextulæ semunciam constituunt: atque ita totus *As* conficitur, quem in tres hæredes Mulier illa divisit. Eodem spectat illud Juvenalis

Unciolam Proculejus habet, sed Gillo deuncem

& Suetonius in Cæsare: *Novissimo*, inquit, *Testamento tres instituit hæredes sororum Nepotes, C. Octavium ex Dodrante, L. Pinarium, & Q. Pedium ex Quadrante*. Quæ partes totum *Assem* conficiunt: Dodranti enim, id est novem unciis additus Quadrans, tres vide licet unciæ, tria enim quater ducta duodecim efficiunt, habentur unciæ duodecim, nempè *As*. Et lib. 2. Instit. tit. de Hæredib. Instituen. *Hæreditas plerumque dividitur, in duodecim uncias, quæ Assis appellatione continentur. Habent autem, & hæ partes*

tes

tes propria nomina, *ab uncia usque ad Assem*, *ut puta hæc* : *Sexcunx*, ideſt uncia, & dimidia: *Sextans*, ideſt duæ unciæ, nempè ſexta pars *Aſſis* : *Quadrans*, ideſt tres unciæ, nempe, quarta pars *Aſsis*: *Triens*, ideſt quatuor uncię, nempè tertia pars *Aſſis* : Quincunx ideſt quinque unciæ: *Semis*, ideſt ſex unciæ, nempè dimidium *Aſſis* : *Septunx*, ideſt ſeptem unciæ : *Bes*, ideſt octo unciæ, ſeu Binus *Triens* : *Dodrans*, ideſt novem unciæ, quaſi demptus quadrans, hoc eſt portio *Aſſis* quadrante minor ad *Aſſis* integritatem. *Dextans*, ideſt decem unciæ, quaſi ſexta parte *Aſſe* minor. *Deunx*, hoc eſt undecim unciæ, nempè uncia de *Aſſe* dempta. Quibus ad *Aſſis* intelligentiam ſecundum hanc ſignificationem nihil expeditius.

AUREUS, eſt moneta Romana. Meminit illius Suetonius c.4. in Othon. *Quoties*, inquit, *cœna acciperet Principem*, *aureos excubanti cohorti viritim dabat*. Et in Domitiano cap. 7. : *Addidit*, inquit, *& quartum ſtipendium militi*, *aureis ternis*. Sic enim pro *aureos ternos*, legit Lipſ. l. 1. cap. 2. elect.

2. elect. Valor hujus nummi fuit vigintiquinque Juliorum nostratium , quod apertissimè demonstratur , ex prædicto Suetonii loco in Othone, & in altero Taciti lib.1. Histor. eandem largitionem Othonis memorantis his verbis : *Quoties Galba apud Othonem epularetur , cohorti excubias argenti viritim centenos nummos divideret* . Idem ergo *Aureus* , & Nummi centum : sed centum Nummi nempè sextertii , ut infrà suo loco , viginti quinque denarios efficiunt, nam Nummus, sivè sextertius est quarta pars denarii , ut jam dictum est, denarius autem Julio æquivalet, ex jam dictis; sequitur ergò idem prorsùs esse Aureum Nummum, ac Julios vigintiquinque, hoc est Aureos modernos Romanos duos, & semis. Illud etiam certissimum est argumentū ad *Aurei* pretium ostendendum, quod cum stipendium menstruum militis tres *Aurei* essent, ut ex Suetonio vidimus, & disertissimè ostendit Lipsius loc.cit. & Domitianus quartum addiderit : hanc eandem illius Principis beneficentiam Zonaras narrans ait. *Cum singulis militibus quinque, & septuaginta drachmas solverentur, centum , dari jussisse* . Idem ergo cen-

centum drachmæ, ac *Aurei* quatuor. Sed drachmæ, ac denarii par cum Julio valor, ut dicetur infrà. Vigintiquinque igitur Juliis *Aurei* Romani pretium ſtetit, ſiquidem vigintiquinque quater ducta centum efficiunt. Quanquam non eſt argumentis colligendus *Aurei* valor, cum Dio lib. 55. eum apertè tradat, ait enim: *Aureum voco id numiſma, quod vigintiquinque denarios continet, ſic enim noſtrates Aureum accipiunt*. Quandò verò *Aurei* nomen in Hebraicis Hiſtoriis reperitur, ſubintelligenda eſt vox *Siclus*, erat autem pretium *Aurei* Hebraici Juliorum 48., ut dicemus in v. *Siclus*.

BES Romanus Nummus, duos Aſſes pendens, quaſi *Binus As*. Quando Aſſes librales erant idem nobis eſt cum ſexta parte Julii: Quando verò denarius conſtabat Aſſibus xvj. cum octava parte Julii: ſiquidem denarius ſexdecem conſtitit Aſſibus. Denarius autem idem eſt cum Julio. Eſt item *Bes* nummus continens duos trientes Aſſis, reſpondens pretio duarum tertiarum partium *Bajocchi*, ut conſtat. Ab eo forſan Veneti nomen Pecuniolæ habent *Beſſo*.

BI.

BIGATI Pecuniæ Romanæ nomen à Bigarum ſculptura ductum: quemadmodum dicimus *Sampetronios*, & *Sammartinos*: ab eorum Divorum effigie nummis impreſſa. Fuerunt hi nummi Argentei, ut Plinius tradit lib.33. c.3.: *Nota argenti fuere Bigæ, & Quadrigæ*, & nos apud Antiquitatis ſtudioſos hujuſmodi nummos argenteos cum Bigis, Quadrigiſque vidimus. Meminit etiam hujus generis nummorum Liv. lib.3. Belli Punici. *Bigatoſque*, inquit, *quingentos Quæſtorem numerare jubet*. Valor horum nummorum incertus eſt, nam Plinio teſte, tam Denarii, quam Quinarii, & Sextertii Bigarum, Quadrigarumque nota ſignati: quarè niſi conſtet de quo *Bigatorum*, aut *Quadrigatorum* genere Scriptores loquantur, non poterit ſumma colligi. Illud certum eſt *Bigatos Quadrigatoſque*, ſi Denarii fuerunt valuiſſe Julium: ſi Quinarii Julii ſemiſſem: ſi Sextertii quartam Julii partem: Sicuti apud Lucenſes tam dicuntur *Sammartini* argentei illi quorum quinque Aureum efficiunt, quam illi, quorum tres eundem Aureum conflant.

CEN-

CENTUSSIS fuit nummus Romanos continens centum *Asses*. Meminit hujus nummi Persius sat.6.

Et centum Græcos curto Centusse licetur.

Et Lucilius Fanniam legem, quæ sumptum in victu faciendum centum *Assibus* taxabat, *Centussem* appellabat, ut Macrobius autor est lib.3. Saturn. c.17. Valor hujus monetæ, quo tempore denis Assibus denarii constabant, fuit denariorum decem, ac proindè Juliorum totidem. At denario per Fabiam legem ad sexdecim Asses redacto, valorem Centussis oportet fuisse sex Juliorum, & dodrantis: nam ad sex hujusmodi denarios conficiendos, & tres denarii quartas Centum asses requiruntur. At verò Augusti tempore, cum denarii essent ex xij. assibus Centussis valebat denarios octo, & tertiam ejus partem, ac proindè Julos totidem.

CISTOPHORUS genus Græcæ pecuniæ: sic dictus quod in eo Cistophori insculpti, hoc est sacras cistas ferentes, quales in sacris Cereris Eleusinæ, in Orgiis Bacchi, & in Misteriis Ci-

Cibeles, inclusa arcana continentes præferri solent, ut scribit Cælius lib. 10. c. 2. Meminit hujus nummi Cic. Orat. pro domo sua, & Livius lib. 36. ubi ait ex preda Asiatica illata in ærarium, *Cistophorum trecenta viginti unum millia & septuaginta*. Eodemque libro dicit pariter ab Acilio devictis Ætolis in Ærarium illata *Cistophorum ducenta quadraginta octo millia*. Valor *Cistophori* fuit paulòminus dimidio denario Romano, ac consequenter Julio nostrate. Colligitur id evidenter ex Festo, qui ait: *Talentum Euboicum constare Cistophoris septem millibus quingentis, Denariis verò Romanis quatuor millibus*; ex quo apparet quatuor denarios valuisse septem *Cistophoros*, & semis: & consequenter *Cistophori* pretium fuisse paulò minus dimidio Julio, qui idem est cum denario.

DARICUS, qui & *Stater Daricus*, fuit Nummus Aureus sagittarum nota insculptus, ut testatur Plutarcus in Apophtegm. Laconic. à Dario Persarum Rege percussus, à quo & nomen accepit, teste Herodoto lib. 4. ubi ait:

ait : *Darius ex auro quàm potuit purgatiſſimo monetam percuſſit*. Meminit ejuſdem Nummi Xenophon. lib.1. Expedit. Cyri, ubi ait, ſtipendium militare apud Perſas fuiſſe *Daricum* in ſingulos menſes, quod Cyrus auxit, ut deinceps pro *Darico* acciperet miles *Seſquidaricum menſtruum*. Valor Darici, ut monet Lipſius lib. 7. milit. Rom. Dial. 16., & ad 1. lib. Annal. Tacit., fuit viginti Drachmarum Atticarum, quæ Romano Denario, & noſtrati Julio ſunt pares. Quare duorum Aureorum noſtratum *Daricus* pretium habuit. Videatur Cœl. lib. 10. c. 2.

DECUSSIS moneta Romana decem Aſſium valore, quo tempore Aſſes librales erant : at immutato per Fabium Aſſe ſexdecim Aſſibus ſtetit. Auguſti verò tempore XII., ut jam dictum eſt, cum de Aſſe verba fierent. Valor *Decuſſis* eſt Julii moderni : Idem eſt *Decuſſis* cum *Denario* de quo jam.

DENARIUS moneta Romana celeberrima ex Argento : ſic dicta ab initio, quod decem Aſſibus conſtaret:

undè & *Decussis* nomen habuit : rem sic Vitruvius testatur lib. 3. c. 1. *Nostri primò decem fecerunt antiquum numerum, & in denario decem æreos Asses constituerunt : & ea re compositio Nummi ad hodiernum diem denarii nomen retinet*. Et Plinius l. 33. c. 3. *Placuit denarius pro decem libris æris*. Sub primum bellum Punicum ob inopiam Reip., ut dictum est, Assibus duarum unciarum percussis, *Denarius* non amplius decem Asses, sed sexdecim habuit. Undè Vitruv. loc. cit. *Postea quoniam animadverterunt utrosque numeros esse perfectos, & sex, & decem, utrosque in unum conjecerunt, & fecerunt perfectissimum Decussisexis*, & Plin. loc. cit. *placuitque Denarium sexdecim Assibus permutari*. Denique sub Augusto *Denarius* à sexdecim Assibus, ad duodecim redactus est, ut ex Lipsio jam dictum est. Verùm in his mutationibus mansit semper idem pretium, quod fuit Drachmæ Atticæ respondens, ut Budæus censet : & Plinius disertè tradit lib. 21. cap. 34. *Drachma Attica Argentei denarii habet pondus*. Idem etiam colligitur ex aliis Scriptoribus, qui hæc duo *Denarium*, & Drachmam pro eodem sumunt.

Sic

Sic ubi Tacitus lib. 1. ait, milites tumultuantes postulasse *Denarium Diurnum*; Dio de re eadem loquens ponit *Drachmam Diurnam*: & Zonaras pro septuaginta quinque Denariis ponit *septuaginta quinque Drachmas*, ut jam retulimus. Cæterùm, ut observat Cenalis Tract. de Mensuris, & Ponderibus, & Agricola item de Ponderibus, fuit discrimen aliquod inter *Denarium*, & Drachmam, quia argenti uncia octo Drachmis constaret, *Denariis* verò septem: & proindè *Denarius* septima parte major erat Drachma. Cæterum hæc diversitas, utpotè modica, non admodum curata est, atque ità pro eodem uterque Nummus usurpatur. Quin etiam, ut observat Alcasarius, Drachma à quibusdam pro septima unciæ parte reputata, ac proindè omninò æqualis *Denario*. Cæterùm Ricciolus lib.2. Geograph. c. 1. ait, à se Parmæ in Museo D. Guidonis Torelli multos *Denarios* Romanos cum omnibus notis genuinæ antiquitatis ponderatos, eorumque singulos Drachmam unam appendisse, hoc est octavam partem unciæ nostratæ, quam eandem omninò cum antiqua uncia fuisse demonstratur. V. *Pondo*. Valor *Denarii*,

 ut

ut communiter ſentiunt Scriptores, & ex pondere cognitum eſt, appenſis nempe antiquis *Denariis*, idem eſt cum Julio, ac Regali Hiſpanico. Cornel. in cap. 14. Matth., & in Tract. de Menſ. & Pond.

DES idem quod *Bes*; nempe Nummus conſtans duobus Aſſibus, ut jam dictum eſt.

DIPONDIUM, & *Duepondium*, ut nomen ipſum ſonat, & ſcribit Varro, fuit Nummus duorum Aſſium libralium, & idem cum Beſſe, & Deſſe. Meminit illius Cicer. pro Quint. *Si Dupondius tuus ageretur Sex. Næv.* & Petron. in Satyr. 2. *Sed præter unum Dipondium, quo deſtinaveramus Cicer, lupinoſque mercari*. Et in Evangelio Lucæ 12. *Nonne duos paſſeres veneunt Dipondio*? Ponitur plerumque, ut viſum eſt, pro pecuniola modici pretii: ejuſque valor fuit quintæ partis Denarii, ac proindè Julii. Mutato tamen Denario, neceſſe fuit etiam mutari *Dipondium*, quarè cum Denarius ſexdecim Aſſibus conſtaret, oportuit

tuit *Dipondium* habuisse tres Asses, & quinctam ejus partem. At verò Denario ex duodenis assibus confecto, oportuit, ut *Dipondius* esset, quincta pars Denarii, fuisse duorum Assium, & tertiæ partis ejusdem, ac minimæ alterius portionis.

DRACHMA celeberrimus Atheniensium Argenteus nummus pondere Drachmali, hoc est octavæ partis unciæ, ut nomen ipsum sonat. Nihil frequentius *Drachmæ* nomine apud Græcos, Latinosque. Meminit illius Xenophon. in 1. Hellenicon. ubi habet: *Drachmam Atticam*. Item Thucidid. lib. 3. Belli Pelopon. Plutarchus, Dio, Zonaras, & Terent. in Andr.

Vix Drachmis obsonatus est decem. Sic etiam in Evang. Matth. *Quæ mulier habens Drachmas decem*.

Drachmæ Atticæ valor idem habetur cum pretio Denarii, ac Julii, ut dictum est, traditque Bud. lib. 5. de Asse, aliique communiter. Fuit etiam *Drachma* Aurea Attica: quæ decem argenteos continebat, ut colligit idem Bud., ac proinde Aureo

Italico par erat. Fuerunt etiam aliæ *Drachmæ* præter Atticam, ut Hebraica, Allexandrina, Æginetica, de quibus agetur V. *Talentum*. A Drachma fit *Didrachma*, quæ erat moneta duarum *Drachmarum*, alio etiam nomine dicta *Siciliquus*, nam *Siciliquus* est duarum *Drachmarum* pondus, sive quarta pars unciæ, ut ait Priscianus lib. de Pond., & Mensuris, iis versibus:

Drachmam si gemines, aderit quem dicier audis
Siciliquus ....

Fit etiam *Tetracina*, & *Tetradrachmum*, Moneta Quatuor *Drachmarum*, ac eadem proinde cum Siclo, seu Statere Hebraico. *Didrachma* verò Hebraicum habuit quatuor *Drachmas* Atticas: *Tetradrachmum* verò octo, siquidem *Drachma* Hebraica fuit duplo major Attica: ut in confesso est apud omnes, qui scripserunt de Ponderibus, ac Mensuris.

MINA, & *Mna* per Syncopen, idem apud Græcos valet, quod apud Latinos libra, & Pondo. *Mna* Attica priùs habebat Drachmas septuaginta tres. Verùm Solon constituit, referen-

rente Plutarco in Solone, ut deinceps esset Drachmarum centum. Et Plinius lib. 21. c. 34. *Mna*, inquit, *quam nostri Minam vocant, pendet Drachmas Atticas centum;* qua propter oportuit *Minam* Atticam fuisse Romana libra majorem semiuncia; nam, cum Drachma sit octava pars unciæ, octies duodecim efficiunt nonaginta sex; ac supersunt quatuor Drachmæ, quæ semiunciam efficiunt. Verùm communiter apud Authores utraque libra pro eodem habita, & centum Drachmæ centum Denariis æquatæ, ut etiam vidimus. *Mina* alia fuit argentea: cujus meminit Plautus:

Probati argentei sexaginta Minæ.

Alia aurea, cujus idem etiam mentionem facit in Mil. Glor.

Ergo Des Minam aurei nobis.

Verùm tam Aurea, quàm argentea centum Drachmis constitit: illa Aureis, hoc est centum Aureis nostratibus, siquidem Drachma aurea decem argenteas continebat, ut dictum est: hæc verò Argenteis, ac proinde Juliis totidem aureis nostratibus decem: ut ex dictis constat.

Mina Hebraica fuit duplo major Attica, ac præterea eam superavit

Drachmis quadraginta. Nam cum sexaginta Sicli *Minam* constituerent, ut habetur Ezechiel. 45.: *viginti Sicli, & vigintiquinque, & quindecim Sicli* (ipsi sunt 60. Sicli) *Mnam faciunt*. Ut Siclus autem esset Tetradrachmus, oportuit *Minam* Hebraicam habuisse Drachmas Atticas 240. Ex his *Minis* sexaginta Siclorum, quinquaginta constituebant Talentum Hebraicum, quæ Atticis 120. æquivalebant, ut ait Cenalis: siquidem, ut probat Villalpandus, & ex eo refert Pineda lib. 5. de rebus Solon.: *Talentum Hebraicum habuit Siclos termille, Drachmas duodecim mille, Minas*, de Atticis intellige, *centum vigintiquinque*. Quinquagies autem 240. efficiunt 12000., quarum Drachmarum numerum 120. *Minas* Atticas efficiunt, adeòque Talentum Hebraicum fuit duplo majus Attico.

Notandum cum Villaprando, Maldonato, Cornelio à Lapide, & Rabbi David, ex hoc loco Ezechielis colligi, fuisse apud Hebræos quadruplicem *Minam*. Unam Siclorum 15., aliam 20., Tertiam 25., Quartam verò, quæ has omnes comprehenderet, 60.; Easque omnes sine ullo di-

discrimine *Minas*, & *Mnas* appellatas in sacris literis: quæ observatio necessaria est ad justam æstimationem tenendam aliquorum ponderum Sacræ Scripturæ, quæ per *Minas* efferuntur, quæque si accipiantur secundum *Minam* sexaginta Siclorum, videntur omninò incredibilia. Sic 3. Regum 10. habetur, Salomonem fecisse stipatoribus suis peltas, quarum singulæ vestiebantur trecentis *Minis* auri: quem locum si de Minis sexaginta Siclorum intelligas, erit onus etiam valentissimis importabile. At si de minori 15. aut 20. Siclorum, vel etiam 25. accipias, robusti militis pondus habebitur. Cæterùm eas peltas constitisse Minis trecentis, viginti Siclorum contendunt Villalp., & Cornel. Siquidem dicit Scriptura in eas peltas, quæ fuerunt trecentæ numero, insumpta sexcenta sexaginta sex talenta. Videatur Villalp. to. 2. lib. 5. disput. 3. c. 55., & Pineda lib. 5. c. 6. de rebus Salom. Qui etiam notat eo cap. 6. §. 8. n. 11., & 12. interdum *Minæ* nomine, Siclum in sacris Scripturis accipi; siquidem peltæ istæ, quæ in Regum historia dicuntur conflatæ ex *Minis* auri 300. 2. Paralip. 9. dicuntur compactæ *Aureis*,
hoc

hoc eſt, Siclis trecentis. Quæ ſententia erit etiam tolerabilior, atque ita ſingulæ peltæ habuerunt uncias auri 150.; ſiquidem Siclus ſemunciam auri pendat, cum quatuor Drachmis aureis conſtet, quarum octò unciam conſtituunt, ut dictum eſt.

Fuit etiam *Mina* Alexandrina, Babylonica, Æginetica, & aliæ, de quibus dicetur V. Talentum.

MINUTUM, ut nomen ipſum ſonat, fuit Moneta minimi pretii: de eo dicitur Marc. 12. *duo minuta*, *quod eſt quadrans*, quibus oſtenditur minuti valor; nam ſi duo minuta Quadrantem Aſſis efficiunt, ergò minutum habet valorem dimidii Quadrantis: quo non pertingit ad pretium integri quatrini Lucenſis, ut conſideranti patebit. Nam ſi As eſt decima, aut ſexdecima, aut duodecima pars Julii, quid erit octava pars ejuſdem Aſſis?

NUMUS, & *Nummus* generatim de omni pecuniarum genere dicitur, ducta voce vocabulo *Numo*, hoc eſt, *à Lege*, quod Pecunia legibus ſit conſtitu-

ſtituta, ut ex Ariſt. jam diximus. Verùm apud Latinos idem valet, ac Seſtertium. Cicer. pro Rabır. *Quis eſt tanto populo, qui bona Rabirii Poſthumi Nummo Seſtertio, ſibi addici velit?* Et Vitruvius lib. 1. cap. 4. *Nummo ſeſtertio ſingulis Municipibus mancipio dedit*. De ejus valore vide V. *Sextertius*.

OBOLUS, fuit Nummus, tam Græcis, quàm Hebræis uſitatus: ideo dictus hoc nomine, ut placet Photio apud Cœlium lib. 10. cap. 2., quod Obeliſci imaginem præferret. *Obolus* Atticus fuit ſexta pars Drachmæ, ut ait Euſtatius apud eundem Cœlium loc. cit., nec non Vitruvius lib. 3. c. 1., ac proinde valore ſextæ partis Julii. At vero *Obolus* Hebraicus fuit vigeſima pars Sicli, ut habetur Exod. 20., ubi dicitur: *Siclus viginti obolos habet*. Atqui cum Siclus, ut dictum eſt, quatuor Drachmis conſtiterit, ſequitur *Obolum* Hebraicum fuiſſe majorem Attico, utpotè quincta pars Drachmæ, cum ille ſit ſexta. *Obolus* Atticus dictus eſt etiam *Semiſcrupulus*, ſiquidem duo *Oboli* ſcrupulum efficiunt, ac pro-

proinde Drachma tres habet scrupulos, ut scribit Budæus.

PHILIPPUS, seu *Philippæus*, qui, & *Stater Macedonicus*, fuit Aureus Nummus à Philippo Alexandri Magni Patre percussus, ab eoque dictus *Philippus*, seu *Philippæus*, ut Diodorus est author apud Cœlium lib. 10. c. 2., & Jul. Pollux. lib. 9. 6. Meminit hujus nummi Livius lib. 34. ait enim de Quintii triumpho loquens: *Et Philippæi nummi aurei quatuordecim millia quingenti quatuordecim*, & Horat. lib. 2. Epist. 1.

Rettulit acceptos regale Numisma Philippos

& Plaut. in Bacchide

Mille ducentos Philippos attulimus aureos

ad quem locum ait Lambin.: *Valebat autem Nummus Philippæus aureus duos circiter aureos Gallicos, quod ego ex uno nuper cognovi, quod mihi ostendit Clemens Teveninus*. Ex quibus *Philippæi* Nummi valor deprehenditur, quem fuisse eundem cum valore Darici Stateris, Scriptores consentiunt. Budæus lib. 4. de Asse, ac proinde *Philippæus* ha-

habuit Drachmas viginti : qui ſunt duo aurei noſtrates.

PONDO; idem ſonat, ac As, & Libra. Eſt autem libra notiſſimum ponderis genus, partibus duodecim conſtans, quæ Unciæ appellantur. Magna eſt inter Authores circa pondus librarum controverſia : nobis ſufficiat Romanæ, ac Grecæ pondus ſtatuere ad intellectum Scriptorum utriuſque linguæ. Aſſero igitur Libram Romanam duodecim unciis conſtitiſſe, quæ Libram noſtratem Romanam modernam conficiunt, omnino reſpondentibus. Cujus veritatis illud ineluctabile argumentum eſt, à Villapando, & Alcaſario allatum, extare adhuc Romæ apud Farneſios Veteres Congios, in quibus inſcriptum eſt : *Menſuræ exactæ in Capitolio pondo decem* : quorum uno pluviali aqua repleto, & ad Libram ſubtiliſſimè examinato coram Luca Pæto, inventum, eum fuiſſe ponderis Unciarum noſtrarum centum viginti, quæ ſunt Libræ noſtrates decem. Libra autem Græca ferè par Romanæ fuit, una tantum ſemuncia major: ſiquidem octo Drachmæ Roma-

manam Unciam conficiebant, Libram verò Drachmæ 96. At vero Mina Attica 100. Drachmis constabat, ac proindè quatuor Drachmis majorem fuisse oportuit. Verum tamen est pro eodem utramque Libram habitam: ac ejusdem momenti centum Drachmas, ac centum Denarios Consulares existimatos.

Fuit autem tanta apud Veteres servandi ponderum justa momenta Religio, ut Romani ea in Capitolio asservarint: Justinianus verò mensuras, & pondera in sacratissima cujusque Urbis Ecclesia custodiri mandaverit, qua de re legendi Lucas Pætus fol.14., & Mariana c.24., quem morem à Judæis haustum non dubitamus, cum 1. Paralip. c.23. legamus *Sacerdotes præpositos super omne pondus, atque mensuram.* Quod intelligendum est, cum in scripturis dicitur aliquid examinatum pondere Sanctuarii. Non quia pondera sacra majore essent Laicis, ut quidam perperam voluerunt, sed quia in Templo justissima asservabantur pondera; atque adeò idem est pondere Sanctuarii, ac justo, & exacto pondere, ut observat Alcasar. Prop. 11. Qua diligentia Avaritiæ fraudibus cautum

vo-

voluerunt, ne ſcilicet in hominum cupidorum poteſtate eſſet rerum pondera, & menſuras invertere. Undè etiam hoc tempore pondera, menſuræque cuſtodiuntur in publico adverſus privatorum calumnias.

Quandò autem ſermonem de Libra inſtituimus, non injucundum Juveni futurum putavi, ſi ſummatim rerum gravium inter ſe comparationem à Villapando t.3. p.2. lib.1. c.7. prop.16. ſubtiliſſimè, ac diligentiſſimè, ante oculos præponere; quòd etiam ex eodem Villap. præſtiterunt Alcaſ., & Cornelius de Pond. & Menſ. Sumatur igitur Vas, quod capiat decem uncias, aquæ, vini, & aceti, hæc enim tria æqualis ponderis æſtimantur: idem vas capiet olei uncias novem: mellis quindecim: ſtanni ſeptuagintaquinque: ferri octoginta $\frac{12}{87}$ Æris Cuprei nonaginta unam: argenti centumquatuor: plumbi centum ſexdecim, & med.: argenti vivi centumquinquaginta: auri octoginta ſex, & med. Quamquam hæc non ità exactè teneri poſſint, cum pro raritate, & denſitate majori, vel minori ejuſdem metalli, vel liquoris, dari poſſit pon-

de-

deris inæqualitas: nam ut ait Fannius

Nec mersi puteis latices, nec fonte perenni
Manantes par pondus habent, non denique vina.

licet Plin. l. 31. c. 3. afferat aquas: *nullo ferè ponderis momento inter se distare*: ac Villapandus loc. cit. dicat: *discrimen aquarum in pondere à stomacho discerni, non à trutina.* Quomodò autem deprehendi possit excessus iste liquorum ad invicem absque eo quod in Statera penderentur, curiosè docent ex Archimede Villalpandus in Ezechielem, Marinus Ghetaldus in Archimede promoto, Joseph Blancanus in Sphæra lib. 7. c. 6., & Ricciolius lib. 2. cap. 5. Almagesti Novi, hoc pacto. Cum enim gravia descendant liquidis immersa magis, vel minus, secundum majorem, vel minorem densitatem, gravitatemque liquoris; primum ad Libram expendatur aliquod pondus, puta unciarum duodecim, hoc igitur primum in aere appensum, repertumque pondere unciarum duodecim rursus ponderetur non in aere, sed in aqua, deinde vino, mox in oleo, tum in melle, & quot un-

unciis minus deprehendetur pondus illud diversis liquoribus immersum, tot unciis gravior erit altero liquor ille in pari quantitate. Nam si ex. gr. pondus illud vasi aquæ immersum erit unciarum 8., vini autem in eodem vase positum 7., vinum ponderabit uncia minus aqua: repleatur idem vas oleo, si pondus immersum erit unciarum 10., oleum erit aqua levius unciis duabus, & sic deinceps.

QUADRANS, ut jam prædictum erat, quarta pars Assis, pendens paulò amplius Quatrino Lucensi, ut diximus V. *Minutum*; & ex comparatione denarii Romani, cujus *Quadrans* erat pars vel Quadragesima, dum Asses librales erant; vel sexagesima quarta, dum Unciales; vel quadragesima octava, dum Denarius habebat asses duodecim, apertè colligitur. Hoc nummo persolvebatur pretium balneatoribus in Thermis publicis: undè Horatius

.... *Quadrante lavari:*

& Martialis

De nostro Matho centies lavetur.

Siquidem præcursoribus, & salutato-

 ri-

ribus, è quibus Matho ille, dabatur ſportula centum Quadrantium : unde idem alibi

Centum miſelli jam valete Quadrantes,
Anteambulonis congiarium laſſi.

SCRUPULUS tertia pars Drachmæ, ſivè unciæ pars vigeſima quarta, ponitur pro minima pecuniæ portione; undè Valer. Maxim. lib. 4. *eadem gens nullum antè ſcrupulum habuit.* Et Cicer. ad Attic. lib. 4. Epiſt. 86. : *Neque argenti ſcrupulum eſſe ullum in illa Inſula.*

SEXTERTIUS celeberrimus Romanorum Argenteus Nummus, quippe eo omnes pecuniariæ ſummæ taxatæ. Nihil eo apud Latinos Scriptores frequentius. Tacitus lib. 1. Annal. *Prætoriarum choortium militibus ſingula nummum millia : Legionariis autem cohortibus Civium Rom. trecenos Nummos viritim dedit.* Idem autem cum *Sextertio* Nummum fuiſſe ſupra oſtendimus. Et lib. 1. Hiſto. : *Bis, & vicies millies ſextertium largitionibus Nero effu-*

effuderat. Ipsi sunt *quinquaginta quinque milliones*, inquit ad eum locum Lipsius: & ex pretio, quod mox dicemus supputanti liquebit. Mitto alia Authorum loca, Suetonii, Livii, Ciceronis, & aliorum, quæ vel pueris sexennibus in manu sunt. *Sextertius* fuit quarta pars Denarii Romani, dictusque est hoc nomine, quasi *Semistertius*, quod nempè ab initio, cum Denarius decem Assibus constabat, contineret duos Asses, & semissem tertii. Rem totam aperit Vitruvius lib. 5. cap. 1. *Etiamque quartam ejus* (denarii scilicet) *partem*, *quod efficiebatur ex duobus Assibus*, *& tertiò semisse*, *sextertium vocitaverunt*. Fuisse autem *Sextertium* quartam Denarii partem, indè etiam evidenter liquet, quod apud Tacitum, ut suprà vidimus, idem sunt *centum Nummi*, ac apud Suetonium *Aureus*. Oportuit ergo Nummum fuisse partem quartam Denarii, cum Aureus constaret Denariis vigintiquinque Constabat etiam ex Plinio lib. 33. cap. 3. fuisse *Sextertium* quartam partem Denarii: nam cum dixisset Denarium ex Decussi factum Decussisexim, addit: *placuitque Sextertium quatuor Assibus æstimari*,

ut ſcilicet *Sextertium* valorem ſuum retineret, eſſetque, ut antea, quarta pars Denarii, quatuor enim eſt quarta pars ſexdecim. Ex quibus habetur Sextertii pretium fuiſſe quartam Julii partem, nempe undecim quatrinos Lucenſes: Duas Cratias Florentinas: duos Bajocchos Romanos, & Semiſſem. Signantur autem, ut patet apud Scriptores *Sextertii*, hac nota, H-S. Tacit. lib. 12. Annal. *Pallanti Prætoria inſignia, & centies quinquagies* H-S. Quod etiam exprimitur in veteri Inſcriptione, cujus etiam meminit Plinius lib. 8. Epiſt. 5., ubi legitur: ET CENTIES H-S QUINQUAGIES, & paſſim apud Scriptores hæ notæ occurrunt. Quoties autem huic voci Sextertium H-S, adſcribitur numerale nomen, Decies, Centies, Millies, &c. ſubintelliguntur ſemper, ac ſupplenda ſunt centena millia. Ut autem in promptu ſit ſumma *Sextertiorum*, brevem Abacum appono.

Centum	H-S	Aurei noſtr. 2. $\frac{1}{2}$
Mille	H-S	Aurei noſtr. 25.
Decem millia	H-S	Aurei noſtr. 250.
C. millia	H-S	Aurei noſtr. 2500.
Decies	H-S	Aurei noſtr. 25000.

Cen-

Centies H-S Aurei nostr. 250000.
Millies H-S Aurei nost. 2500000.

SEXTERTIUM neutro numero habuit sestertios parvos mille, denarios centos vigintiquinque: dictumque est hoc nomine, quod duas libras argenti, & Semissem valeret. Colligitur evidenter pretium hujus monetæ, siquidem Authores indiscriminatim ponunt, exempli causa, Dena *Sestertia* pro decem millibus sestertium. Suetonius in Cæsare: *Ludis Laberius equus Romanus mimum suum egit, donatusque quingentis sestertiis, & anulo, sessum in quatuordecim ex Scæna per Orchestram transiit*. Atqui eandem rem sic narrat Macrobius lib. 2. Saturn. *Laberium asperæ libertatis equitem Romanum, Cæsar quingentis millibus invitavit, &c.* Ergo idem erant quingenta H-S, & Quingenta millia H-S. Licet etiam eandem veritatem ex Juvenali adnotare Sat. 14.

.... Mullum sex millibus emit,
Æquantem sanè paribus sestertia libris.

Neque enim mullus potuit esse pondere sex millium librarum. Fuit

igitur librarum ſex, æquavitque libris *Seſtertia*, quià idem *Seſtertia* ſex quod ſex mille *Seſtertii*; qua de re videndus eſt Covarruv. cap. 4. de Numiſmatis.

Cum autem mille Nummi, ſive *Seſtertii*, ducentos quinquaginta denarios efficerent, ſiquidem ſunt quarta pars denarii, conſequentèr *Seſtertium*, utpote conſtans mille *Seſtertiis*, valebat denarios CCL.; ac proinde Julios totidem, noſtrates verò aureos XXV. Ad ſummas ergo recte colligendas ſolerter Juvenis animadvertat: & cum legerit centum *Seſtertia*, Dena *Seſtertia*, Vicena *Seſtertia*, & alia hujuſmodi, ſciat intelligenda eſſe Centum millia, Decem millia, Viginti millia *Seſtertium*. Bud. de Aſſe. Quare cum apud nonnullos leget Senatorium Cenſum fuiſſe *Octingenta millia H-S*, quem tamèn Auguſtus poſteà *ad duodecies H-S taxavit*, ut Suet. in Aug. c. 41. apud alios verò reperiet eundem Cenſum fuiſſe *Octingenta ſeſtertia*: quemadmodum etiam de Equeſtri cenſu continget, quem aliqui per quadringenta *Seſtertia* efferunt, ut Plin. l. 33. c. 2., qui de Equeſtri dignitate loquens, *Hac de cauſa*, inquit, *con-*

constitutum, ne cui jus id esset, nisi cui ingenuo ipsi, patri, avoque paterno Sestertia quadringenta Census fuisset: alii verò per quadringenta millia, ut alter Plin. lib. 1. Epistolarum ait enim amicum alloquens: *Esse autem tibi centum millium censum satis indicat, quod apud nos Decurio es. Igitur ut te non Decurione solum, verùm etiam Equite Romano perfruamur, offero tibi ad implendas Equitis facultates trecenta millia nummum:* pro eodem summas illas accipiat, & utrobique Senatoris Romani Censum computet viginti aureorum nostratium millia; secundum verò Augusti taxatione triginta millia: Censum verò equitum aureorum nostratium decem millia.

SICILIQUUS, sive *Sicilicus*, idem cùm Didrachma: vide V. *Didrachma*.

SICLUS, qui *& Sicel*, & *Stater*, Nummus Hebraicus quatuor Drachmarum Atticarum valore, idem est cum *Argenteo*, ut jam copiosè dictum est. Fuit etiam *Siclus* aureus duodecim

Siclorum argenteorum pretio : quod manifestè colligitur ex historia emptionis Areæ Ornan per David factæ, quæ 2. Reg. cap. 24. sic exprimitur ; *emit ergo David Aream, & boves argenti Siclis quinquaginta* : at verò eadem 1. Paralipom. cap. 21. sic effertur : *Dedit ergo David Ornan pro loco Siclos auri justissimi ponderis sexcentos.* Ubi monent Villalp. Alcasar., & Cornel., ut infrà latiùs, primos illos *quinquaginta Siclos* de aureis intelligendos : *sexcentos* verò de argenteis : undè cum quinquaginta Sicli aurei, sexcentis argenteis æquivalerent, oportuit singulos Siclos aureos duodecim argenteorum Siclorum pretium habuisse. Ex quo etiam illud liquet, eo tempore aurum habuisse duodeclupam proportionem ad valorem argenti : quem excessum tradit etiam de sua ætate Plato in Hipparco propè finem. Quare pretium unius aurei *Sicli* fuit Juliorum 48.; cum singuli *Sicli* argentei essent Tetradrachmis Atticis pares. Memorantur *Sicli* aurei Jud. 8. 25. *mille septingenti aurei Sicli*. Et 3. Reg. 10. *Sexcentos auri Siclos dedit in laminas Scuti unius*. Illud etiam notandum est quoties in scripturis *Aureus* di-

dicitur, ut 2. Paralip. 4. *De summa sexcentorum Aureorum, qui in singulis hastis expendebantur*, subintelligendum esse *Siclum*, ut de Argentei appellatione monuimus.

Excogitarunt nonnulli sacrarum literarum Interpretes duplicem *Siclum*, Sacrum, & Communem. Sacro Rabbini tribuunt pretium viginti obolorum, Communi Quadraginta: E contrà verò Pagninus noster arbitratus est sacrum valere Obolos Quadraginta, Communem viginti. Verùm hæc distinctio nec à Philone, nec à Josepho, aut Hieronymo cognita est, proindè passim rejicitur; revinciturque ex Scriptura, quæ tàm Sacro, quàm Communi *Siclo* viginti Obolos tribuit. Nam Ezech. 15. ubi agitur de *Siclo* Vulgari dicitur: *Siclus viginti obolos habet*: & Exod. 30. ubi de Sacro: *Dabit dimidium Sicli juxta mensuram Templi: Siclus autem viginti obolos habet*. Ubi Nota, sermonem hic esse de Obolis Hebraicis: Nam *Siclus* habebat obolos Atticos vigintiquatuor: siquidèm Obolus est sexta pars Drachmæ, *Siclus* autem habet Drachmas Atticas quatuor.

SO-

SOLIDUS fuit aurea moneta fextam unciæ Auri partem pendens, unde & *Sextula* dictus, Isidoro teste. De aliis *Solidorum* generibus, quæ multa, ac varia fuerunt, videantur Budæus, & Cenalis. Illud ex Cassiodoro adverto, *Solidum* Gothicis temporibus *Sex millia Denariorum habuisse* lib.1. ep.10. Variorum. Quare videtur, quod veteribus Talentum, id posterioribus sæculis *Solidum* fuisse.

STATER, sic à Statera dictus, fuit Nummus Hebraicus, tum aureus, tum argenteus. Meminit illius Sacra Scriptura pluribus in locis 1. Reg.: *Inventa est in manu mea quarta pars Stateris Argenti* : et : *Invenies in ore ejus Staterem*. Fuit autem idem cum Siclo, ut jam dictum, ac proinde ejusdem valoris tam in auro, quàm in argento.

Stateris etiam nomen habuere Aurei Persici, & Macedonici : illi appellati *Stateres Darici*, hi *Philippæi*, & *Alexandræi*, ab eorum Regum imagine : de quorum pretio jam dictum, quod fuit Drachmarum Atticarum viginti; Juliorum totidem.

TA-

TALENTUM, maximum, ac celeberrimum in re Nummaria, tam sacris, quàm Prophanis Scriptoribus memoratum, non tàm Moneta dicendum est, quàm ingens pecuniarum acervus. Fuit autem, ut magnum, ita, & varium; tamen in hac varietate illud commune habuerunt omnia *Talenta*, ut observat Alcasar. ex Africano, & Polluce, quod constiterunt sex millibus Drachmarum sui generis: nempe Atticum Atticis, Hebraicum Hebraicis, &c. Memorantur autem *Talenta Attica*, *Hebraica*, *Alexandrina*, *Æginetica*, *Ægyptia*, *Babylonica*, *Euboica*, *Syracusana*, *Rhodia*, de quibus breviter dicendum est.

Talentum Atticum, sic dictum, quod eo Athenienses utebantur. Meminit illius Cic.5. Tuscul. *Cum Legati ab Alexandro quinquaginta ei Talenta attulissent, quæ erat pecunia temporibus illis, Athenis præsertim, maxima*. Valor ipsius fuit Minarum Atticarum sexaginta, siquidem constabat Drachmis Atticis sex mille; singulæ autem Minæ centum Drachmas habent, ut jam dictum. Quibus addo auctoritatem Diodori apud Suidam V. Talentum, ubi ait: *Talentum sexagin-*

ginta minas, *Mina centum Drachmas*, *Drachma ſex Obolos*, *Obolus ſex Æreos*, *æreus*, *ſeptem minuta continet*.

Idem *Talenti Attici* valor colligitur ex Plin. lib. 35. cap. 11. *Talentum Atticum XVI. taxat Marcus Varro* hoc eſt, ut interpretatur Bud. l.4. de Aſſe, Denariis (id enim ſignificat numeralis nota X. quæ etiam in Denariis vetuſtis, qui adhuc ſuperſunt, ad eorum valorem indicandum, cernitur) ſex mille ; idem enim Drachma, & Denarius. Valor ergo *Talenti Attici* Juliorum noſtrorum ſex mille, Aureorum vero ſexcentum.

Fuit etiam ſecundum quoſdam aliud *Atticum Talentum*, quod à Scriptoribus appellatur Magnum, undè Plaut. in Moſtell.

Sex Talenta magna argenti.

Et Virg. 5.

.... *Argenti magnum dat ferre Talentum*.

Quod dicunt, ut Cerda in hunc Virgilii locum, fuiſſe minarum Atticarum octoginta ; Drachmarum octo millium. Verum hoc *magnum Talentum* non fuiſſe majus ſexaginta minis Atticis, evidenter colligitur ex Plauto

l. C.

l. c. ut benè notat Lambinus. Nam cum dicatur ibi domum quandam emptam duobus *Talentis magnis*: & Venditori jam datas *quadraginta minas*: ſubjungitur, ut tota pretii ſumma conficiatur reſtare, *octoginta minas*, quæ ſi cum quadraginta jam ſolutis componantur, centum viginti minas conficiunt; hoc eſt *Talenta Attica* duo: idem ergo *Talentum Atticum*, & *Talentum Magnum*. Quamquam, & his minimè obſtantibus, adhuc affirmari poſſit *Talentum Magnum* habuiſſe Minas quidem ſexaginta, verùm Minas magnas, nempe duplo majores communi: quale enim *Talentum* tales, & Minæ, ex quibus illud componebatur: ſed hoc *Alexandrinum* potiùs, & *Hebraicum*, quàm *Atticum* fuit. Ideò quotieſcumque in libris Græcorum, aut Latinorum reperitur *Talentum* ſine alia additione, niſi quid aliud ex rerum ſerie occurrat, pro *Attico* intelligendum eſt, Minarum argenti ſexaginta, Drachmarum Atticarum ſex mille.

Talentum Atticum aureum, quale fuerit, licet ex dictis colligere: nam ſi quodlibet *Talentum* ſexaginta Minis conſtabat, oportuit habuiſſe ſexaginta Mi-

Minas aureas, Drachmas aureas sex mille, ac proinde totidem nostrates aureos. Quod idem de aliis *Talentis* pro portione dicendum erit, Minis argenteis in aureas commutatis; Drachmisque similitèr, ex argenteis in aureas conversis.

Talentum Hebraicum tam aureum, quàm argenteum, duplo majus Attico fuit. Et quidem unum hujusmodi dari *Talentum*, quod *Atticum* pondere duplicaret, authores sunt Vitruvius, Dionys. Halicarn., Suidas, & Hesychius, apud Marianam cap.7. de Mens. & Ponder. Hujus autem generis fuisse *Talentum*, quo utuntur Sacræ Scripturæ, testatur Josephus, qui affirmat *Talentum* Scripturæ pendere Minas centum viginti, ut emendat Alcasar. Atticas scilicet, nam Hebraicas habuit 50., ut dictum est in V. Mina: deindè universi sacri Interpretes ad cap.18. Exodi colligunt *Talentum* fuisse Siclorum trium millium: atqui Siclus Tetradrachmus fuit, ac proinde *Talentum* oportuit fuisse Drachmarum duodecim millium, Attico videlicet duplum. sic Villalp. tom.3. in Exechiel. Stanisl. opusc. de Siclo. Cornel. in cap. 18. Exod. Alca-

casar. de Mens. & Pond. Proposit. 21. *Talentum* ergo *Hebraicum argenteum*, siquidem habuit Drachmas duodecim mille, fuit valoris Aureorum nostratium mille ducentorum. *Aureum* verò, cum totidem Drachmis aureis constiterit, Aureos nostrates valuisse oportebit duodecim mille.

Pro colligendis summis pecuniariis Sacræ Scripturæ, notandum est cum Alcasario l. c. Proposit. 22.: Sæpè in sacris Literis Auream pecuniam pro argentea poni: ità ut idem sit, Exempli causa, decem Auri *Talenta*, ac decem *Talenta* argenti auro appensa: hoc est tanta auri summa, quanta conficiat Argenti Talenta decem, ut si quis dicat se habere trecentos Asses aureos, significet se habere Aureum Italicum, vulgo *Doppia d'Italia*, cujus pretium est triginta Juliorum, qui conficiunt trecentos Asses, seu *Bajocchos*: habet igitur hic trecentos Asses aureos in æstimatione, & pretio, non in materia. Colligitur apertissimè hæc Sacræ Scripturæ phrasis ex duobus Sacræ Scripturæ locis rem eandem narrantibus: nam ubi 2. Reg. cap. 24. dicitur: *Emit ergo David aream, & boves argenti Siclis quin-*

quinquaginta, idem factum sic exprimitur 1. Paralipom.21. *dedit ergo David Ornan pro loco*, *Siclos aurei justissimi ponderis sexcentos*; nam, ut hæc duo Scripturæ loca sibi consentiant, oportet fateri Sacram Scripturam valori sexcentorum argentorum Siclorum in auro tribuisse appellationem sexcentorum auri Siclorum : & illos Siclos quinquaginta, qui in sacra Regum Historia memorantur, in libris Paralipomenon elata esse per Siclos sexcentos : siquidem quinquaginta aurei Sicli, valent sexcentos Siclos argenteos: Ut Alcazar. loc. cit. & Villalp. tom.3. in Ezech. Quod cum ita sit, valdè minuuntur summæ quædam incredibiles, quas nonnulli ex sacris Literis, præcipuè computando divitias Salomonis collegerunt: si illa tot *Aureorum Talentorum* millia moderata supputatione leniamus, ea ad totidem *Talenta argenti* in auro revocando: undè opes à Davide relictæ Salomoni ad Templum ædificandam à maxima illa, & incredibili summa millionum bismille quadrigentorum, revocarentur ad summam ingentem quidem, sed tamen longè minorem centum vigintiquatuor millionum. Videatur Alcazar.

zar. loc. cit. & Cornel. de Menſ. & Pond., qui tamen dicit aliquid plus à Sacra Scriptura requiri.

Talentum Alexandrinum fuit duplo majus Attico, ac proinde habuit Minas Atticas centum viginti, Drachmas duodecim mille: fuitque par Hebraico. Fuiſſe autem hujuſmodi colligitur manifeſtè: nam Septuaginta Interpretes, qui in urbe Alexandrina Sacram Scripturam in Græcam linguam tranſtulerunt, ut etiam ſupra obſervavimus, Siclo qui fuit quatuor Drachmarum Atticarum, nomen didrachmi tribuunt, in quo veriſimile eſt, eos ſequutos uſum Regionis, in qua ſcribebant: ubi oportuit viguiſſe Drachmas magnas, nempe Attica duplas, ac proinde Minam itidem magnam, & *Talentum* Minæ par: ſiquidem ſi Drachma Alexandrina fuit Siclo par; Drachma verò eſt pars centeſima, Mina autem pars *Talenti* ſexageſima, oportuit, & *Talentum* Alexandrinum fuiſſe Minarum Atticarum centumviginti, Drachmarum Atticarum duodecim mille: & Aureorum noſtratium mille ducentorum. Quin Feſtus apertè tradit *Talentum Alexandrinum* conſtitiſſe Denariis duodecim

millibus, ipsæ sunt Drachmæ Atticæ totidem. Videatur Alcazar. Proposit. 19. qui refert ad *Talentum Alexandrinum* ea, quæ de Talento magno scribuntur à Vitruvio, Dionysio Halicar., Hesychio, & Suida.

Talentum Æginеticum, ab incolis Æginæ Jonii maris Insulæ dictum, habuit, secundum *Talenti* legem, Drachmas Ægineticas, quas Athenienses crassas appellabant, ut scribit Bud. lib. 4. de Asse, sex mille, Atticas decem mille: siquidem Drachma Æginetica, ut omnes consentiunt apud Mariana c. 7. de Pond., & Men., pendebat decem obolos Atticos, cum Attica sex obolis constaret; ac proinde erat Attica major $\frac{2}{3}$; undè sequitur fuisse valoris nostratium Aureorum mille.

Talentum Ægyptium, ut Plin. lib. 33. cap. 3. ex Varrone tradit, *pendebat octoginta pondo*: igitur fuit valoris octoginta Minarum Atticarum; illæ enim Romanæ libræ pares habitæ, Drachmarum Atticarum octomillium, Aureorum nostratium octingentorum. Meminit *Ægyptii Talenti* Appian. in Proem. Hist. Libycæ, ubi summam Ro-

Romanæ potentiæ, ut erat illa ætate, nempe Hadriano Principe, recensens ait: illos habuisse pecunias in usus bellicos comparatas *ad septuagintaquinque millia Talentorum Ægiptiorum*, qui sunt Aureorum nostratium milliones centumviginti, si hæc *Talenta* erant Argentea; si verò Aurea, milliones sexcentos, ut computat Perer. lib. 8. comment. in Daniel. Siquidem cum *Talentum* quodlibet Drachmas Aureas haberet octomille, totidem Aureos nostrates pendebat. Septuagies autem quinquies octies millies efficiunt sexcentos Aureorum milliones, ut computanti patebit. Verosimilius autem est Romanam potentiam non ignorantibus de Aureis *Talentis* dici: nam & ità magis cæteris aliis, quæ Appianus ibi narrat, nempe tunc temporis habuisse Romanos ducenta millia peditum, quadraginta millia equitum, trecentos Elephantos, tria millia curruum, armorum in supplementum trecenta millia, Navium duo millia, Triremes mille, & quingentas, magnas verò Naves proris, puppibusque aureis in ostentationem Romanæ Majestatis, & usum Imperatorum octoginta, cum navali-

bus instrumentis ad armandum Navium numerum duplo majorem, his inquam magis numerus ille sexcentorum millionum consentit: quæ parergi loco sint dicta.

Talentum Babylonicum, ut scribit Herodotus lib.3., constitit Minis Euboicis septuaginta. Cum autem Mina Euboica sit minor Attica: nam *Talentum Euboicum*, ut inquit Festus, valet *Denarios Romanos quater mille*, ac proinde Minas Atticas quadraginta; sequitur septuaginta Minas Euboicas idem fuisse cum Minis Atticis quadraginta sex, & $\frac{1}{6}$, hoc est unciis duabus, seu Drachmis sexdecim per regulam auream trium. Undè *Talentum Babylonicum* fuisse convincitur valoris Drachmarum Atticarum quatuor millium sexcentarum sexdecim: Aureorum verò nostratum quadrigentorum sexaginta unius, ac $\frac{6}{10}$. Hujus Talenti pondere statuisse Darium Hystaspsis Regem Persarum, ut à populis qui argentum pendere regio debebant Ærario, tributa solverentur, tradit idem Herodotus loc. cit., qui etiam ait, eum Regem illo nomine malè audisse,

diſſe, appellatumque Capelum, hoc eſt Inſtitorem, ſive Mercatorem.

Talentum Euboicum, ut jam dictum eſt, valebat Denarios quater mille: proinde Aureos noſtrates quadrigentos. Meminit præter Herodotum lib. 3. *Talenti Euboici* etiam Livius lib. 37., ubi ait mulctam à Romanis Antiocho dictam *quindecim millia Talentum Euboicorum*.

Talentum Syracuſanum, quo Syracuſani videlicet utebantur, ſecundum nonnullos habuit uncias Romanas trecentas ſeptuaginta quinque. Suidas verò V. Talentum, ait: Talentum quo olim Siculi utebantur habuiſſe Minas Atticas vigintiquatuor; illud verò quo ſuo tempore utebantur habuiſſe duodecim. Undè primum valebat Drachmis Atticis duabus mille, & quadrigentis: ſecundum mille ducentis.

Talentum Rhodium ſic appellatum, quod in uſu eſſet apud Rhodios, quod etiam Ciſtophorum dictum eſt, quod nummis Ciſtophoris computaretur, habuit Minas Rhodias ſexaginta, Atticas verò ſecundum Cenalem Minas quadraginta quinque, Drachmas quater milla quingenta, Denarios Romanos totidem.

Quod autem de *Talentis Argenteis* dictum est, idem de *Aureis* dicendum: singula nempe constitisse sexaginta Minis aureis sui generis, Attica videlicet Atticis, Æginetica Ægineticis, & sic de cæteris; Drachmis verò sex millibus, cum singulæ Minæ Drachmas centum contineant: quod, & superiùs præfati sumus.

TERUNCIUS Nummus Romanus, sic dictus, quod eo tempore, quo Assis libralis erat, tres uncias contineret, ac proinde quarta pars illius esset: undè & *Quadrans* etiam appellatus. Immutato tamen pondere Assis, & ipsum diminutum oportuit: retinuit tamen, ut quarta esset Assis portio. Ponitur pro pecunia minimi pretii. Cic. lib. 3. de Finib., *ut in pecuniis*, inquit, *Crassi Teruntii accessio*: & Plaut. in Captiv.

Neque ridiculos jam Teruncii faciunt. Pretium ipsius est quartæ partis *Bajocchi* Romani, nempe unius quatrini, & quartæ partis ejusdem.

TETRACINA idem cum *Tetradrachmo*. TE-

TETRADRACHMUS Monetæ Atticæ, atque Hebraicæ nomen, sic dictum, quod quatuor Drachmas penderet, *Atticus* quatuor Atticas, *Hebraicus* quatuor Hebraicas duplò Atticis majores. *Atticus* valebat quatuor Denarios Romanos. Variat tamen Livius lib. 34., qui ait *Tetradrachmi* pretium esse trium ferè Denariorum : *signati argenti octoginta quatuor millia fuere Atticorum, Tetradrachmum vocant; trium ferè Denariorum in singulis argenti est pondus*. Fortè mendum irrepsit, & nota una numeralis detracta, cum priùs diceret *IIII. ferè Denariorum* : hoc enim verum est, nam, ut supra vidimus, Denarius major fuit Drachma parte septima : undè quatuor Drachmas oportuit excessisse tres Denarios, & fere ad quatuor accessisse. Verùm, ut jam notavimus, pro eodem habiti Denarius, & Drachma.

VICTORIATUS Nummus Romanus, de quo sic Plinius lib. 33. c. 3. *Qui nunc Victoriatus appellatur, Lege Clodia percussus est. Antea enim hic Nummus ex Illyrico advectus mercis*

loco habebatur. Est autem signatus Victoria, & indè nomen. Ubi notandum est, obiter posse Nummos loco mercis distrahi, quemadmodum his temporibus fieri videmus in Argenteis Denariis Gallicis, qui ob Regis Ludovici imaginem appellantur *Luigini*, quos magno compendio apud Turcas vendunt Mercatores: cum barbara illa gens ex eis torques fœminis intexere, equorumque phaleris, loco bullarum insigere gaudeat. Meminit Nummi Victoriati Quintilian. lib. 6. c. 4. *dicente*, inquit, *quodam Victoriato se uno in Sicilia quinque pedes longam murenam emisse.* Tullius quoque in oratione pro Fontejo, & Livius lib. 41. de C. Claudii triumpho loquens, *Tulit*, inquit, *in eo triumpho Denarium CCCVII millia, & Victoriatum LXXXV millia DCCII*: ex quibus patet *Victoriatos* fuisse diversos à Denariis. Quis autem fuerit eorum valor; Cenalis ait fuisse Assium quinque: idemque proinde *Victoriatum* extitisse cum Quinario; ac propterea dimidium Denarium valuisse, nostrique Julii dimidium.

Hæc breviter dixisse sufficiat de Re Nummaria, quam initio præfati su-

ſumus incredibiliter controverſam, ac proinde perplexam admodum, & obſcuram. Nos expeditam rationem ſequuti ſumus omiſſis diſputationibus; ita tamen ut ſubindè argumenta inſerta ſint, nec quicquam ſinè magnorum Virorum authoritate definitum. Quorum libros, ut eos, quibus à ſummo perlegere otium erit operæ non pigebit: ita apud occupatos, & ſtudiorum compendia, certa tamen, & tuta quærentes, laboris noſtri gratiam non dubito valituram.

DE MENSURIS.

PARS SECUNDA.

QUoniam Ponderibus valdè sunt affines Mensuræ, ideò usus obtinuit, ut eorum Tractatio conjungatur. Fecerunt hoc ex Antiquis quam plures, ut Galenus, Priscianus, Julius Pollux, Fannius, & alii: ex Nuperis verò non minus multi eximia subtilitate, ut Villalpandus, Alcasarius, Cornelius, Mariana, Lucas Petus, Cenalis, & his omnibus antiquior Budæus in libris de Asse: quare ne ab eorum vestigiis aberremus, pauca etiam de Mensuris delibare visum est, tam de iis, quæ arida, & liquida; quàm quæ longitudines, latitudinesque metiuntur, eodem ordine, quem agendo de Ponderibus servavimus.

De

Illud in primis sciendum est, cum rerum pondus in pari quantitate molis pro ratione materiæ sit inæquale, mensuras omnes estimandas esse secundum capacitatem aquæ, quam continere possunt; quod idem de vino, & aceto dicendum est, quos liquores ejusdem ferè esse ponderis experientia docuit: quarè sive amphoram aqua impleam, sive frumento, sive farina, sive auro, quoad ambitum, & capacitatem tantumdem capiet, nempe pedem romanum cubicum, hoc est secundum omnes dimensiones, latitudinis, longitudinis, & profunditatis, aquæ, frumenti, farinæ, auri: sed inæqualis erit in pondere, secundum inæqualitatem ponderis materiæ, quæ secundum majorem, vel minorem raritatem, aut densitatem major est, vel minor. Undè vas, quod capiet libram aquæ, idem si auro impleatur continebat libras auri $18\frac{1}{4}$, hæc enim est proportio auri ad aquam, nempe $18\frac{1}{4}$ ad unum, & sic de cæte-

teris pro portione. His generatim præmissis, jam singulares mensuras explicemus.

ACETABULUM mensuræ genus, de qua Cato c. 108. de Rust.: *Dimidium Acetabuli in caliculum novum indito;* & Plinius l.21. c.34. *Cum Acetabuli mensura dicitur, significat Heminæ quartam partem:* erat autem Hemina, quæ & Cotyla, dimidium Sextarii, qui continet uncias aquæ viginti; consequenter Hemina continet decem, *Acetabulum* verò cum sit quarta pars Heminæ, habebit aquæ uncias 2. & med.

AMPHORA sic appellata, quod duas ansas haberet, quo ferri facilius posset, celeberrima est tam Romanorum, quàm Græcorum Mensura. Meminit Amphoræ Sacra Scriptura 1. Reg. 1. *Tribus modiis farinæ, & Amphora vini*, & Zach. 5. Hæc est *Amphora egrediens*, & Lucæ 22. *Amphoram aquæ portans*. Apud prophanos autem tam Græcos, quàm Latinos passim Amphora nominatur. Dioscorid.

rid. lib. 7. cap. 63. Plinius lib. 35. c. 12. *Q. Coponium invenimus damnatum, quia vini Amphoram dedisset dono ei, cujus suffragii latio erat*: & Cicero pro Fontejo ait, *Titurium Tholosæ quaternos Denarios in singulas Amphoras portorii nomine exegisse*: & Martial:

Amphora vigessis, modius datur ære quaterno.

Amphora Romana fuit, ut Budæus lib. 5. de Asse, Cenalis, & cæteri omnes, qui de Mensuris scripserant, vas per omnes sui partes longitudinem Pedis Romani habens. Fiat enim area quadrata per omnes partes habens Romanum pedem; atque huic areæ in altitudinem pedis item Romani superponatur à quatuor lateribus quadrata alia superficies, fiet Cubus ex omni sui parte Romanum pedem quadratum habens, qui si vacuus erit, ipsa est *Amphora Romana*, quam describimus. Hanc *Amphoræ* figuram expressit Fannius his versibus:

Pes longo spatio, latoque notetur in anglo:
Angulus ut par sit, quem claudit linea triplex,
Quatuor ex quadris medium cingatur inane, Am-

Amphora fit cubus, quem ne violare liceret,
Sacravere Jovi Tarpejo in monte Quirites.

Quid autem in secundo carmine sit *linea triplex* exponit Bud. lib. 5. de Asse, nempe ait esse longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Ab hac autem Romani pedis quadratura, appellata est *Amphora Quadrantal*: undè Festus: *Quadrantal antiqui vocabant Amphoram, quod vas pedis quadrati octo & quadraginta Sextarios capit*. Per quæ planum fit, quid per illa significetur, quibus vinosam anum carpit quidam apud Plautum in Curcul.

.... modica est
Capit Quadrantal,

Hoc est vini *Amphoram*. Itemque cujus capacitatis sit vas illud, quod parari jubet Cato c. 10. de Re Rustic.: *Ahenum aliud, quod capiat Quadrantalia decem*, nempe decem *Amphoras*. Pedis autem Romani, ex cujus cubica quadratura constabit Amphora, hanc ex Luca Pæto lib. de Vet. Mensuris, ex Villalpando tom. 3. in Ezechiel., & Ricciolio tom. 1. lib. 2. cap. 7. Almag. Novi, mensuram accepimus, quæ

quæ in duobus Æneis Congiis Romæ in ædibus Farnesiorum impressa cernitur: ut longitudo A B hic descripta, sit ejus pars sexta, hoc est Romani pedis unciæ duæ. Vid. fig. 1.

Hoc igitur vas ex Romano pede quaquaversus quadrato in morem Cubi, seu lusoriæ tesseræ excavatæ, continebat libras Romanas aquæ octoginta; frumenti verò sexaginta, ut omnes conveniunt. Colligitur ex Festo, qui Plebiscitum antiquum in hæc verba refert: *Uti Quadrantal ad vini octoginta pondo fiet. Congius vini decem pondo is fiet. Sex Sextarii Congius fiet, vini duodequinquaginta Sextarii Quadrantal fiet vini*. Et re experta cognitum est. Qua mensura constituta, facilè cæterarum quoque Romanarum mensurarum capacitas deprehenditur: siquidem *Amphora* duabus Urnis constabat: Urna quatuor Congiis: Congius Sextariis sex: Sextarius duabus Heminis, vel Cotylis; Quartariis quatuor, Acetabulis octo; Cyathis duodecim. Item Culeus continebat Amphoras viginti; Medimnus duas; Modius tertia parte *Amphoræ* constabat: undè satis expeditè habetur omnium Romanarum Mensurarum ratio: quam ta-

tamen perſpicuitatis gratia explicatiùs exequemur.

Illud etiam ſcitu dignum eſt, quod evidenti ex Mathematica patet demonſtratione: cum Pes Romanus Cubicus *Amphoram* capiat, nempe libras aquæ 80., ſi conficiatur Cubus, cujus latus duos habeat Pedes Romanos continebit octo *Amphoras*, libras verò aquæ 340. Si autem latus habeat tres Pedes, Vas continebit *Amphoras* 27. ſi quatuor, 64.; ſi quinque, 125. Si ſex, *Amphoras* 216. Si verò decem Pedes, capiet Cubus *Amphoras* mille. Videatur Alcazar. de Menſ., & Pond. propoſ. 3. & 4.

Sic etiam per diminutionem retrocedendo; ſi ut *Amphora* conficitur ex Pede Cubico, ita etiam conficiatur vas Cubicum, cujus latus ſit Semipedis Romani, vas illud non continebit, niſi octavam *Amphoræ* partem, nempe Congium, & ſic de cæteris proportione dicendum.

Et quoniam de *Amphora Romana* loquimur, illud ad cognitionem antiquitatis Nobili Juveni in mentem revoco, quod tradit Livius lib. 1. Belli Punici: nempe ſuaſore C. Flaminio Q. Claudium Tribunum legem tuliſſe

 (quo-

(quoniam Senatores Mercaturam agere, ac negotiari instituerant) *ne quis Senator, quive Senatoris pater fuisset, maritimam Navem, quæ plusquam trecentarum Amphorarum esset, haberet: id satis visum ad fructus ex agris vectandos, quæstus omnis Patribus indecorum visus:* magna tamen Nobilitatis contentione, & in Flaminium invidia, ut notat Livius.

Amphora Græca communis, quam & Metretam appellabant, fuit tertia parte major *Amphora Romana*: nam Galenus lib. de Pond., & Mensur. Cleopatra item de Pond., & Mens., asserunt *Amphoram*, seu *Metretam habere sextarios septuaginta duos*. Atqui Amphora Romana constabat Sextariis quadraginta octo, ut dictum est, nam habebat Congios octo, singuli autem Congii Sextarios sex: si autem ad quadraginta octo adjicias 24., habetur 72. Ergo *Metreta*, sive *Amphora Attica* erat tertia parte amplior *Romana*: nam 24. est tertia pars 72. Fannius quoque affirmat, *Atticam Amphoram* habuisse tres Urnas, cum Romana duas tantum haberet.

AR-

ARTABA Mensuræ genus: fuit autem triplex *Persica*, *Ægyptia*, *Medica*, ut observat Pererius in c. 14. Danielis. De Prima sic Herodotus lib. 1. *Est autem Artaba Mensura Persica capacior, quam Atticus Medimnus tribus Choenicis Atticis*: quibus verbis ejus capacitas deprehenditur fuisse Modiorum Romanorum $6 \frac{3}{4}$. Nam cum Medimnus Atticus constet sex Modiis, Choenix autem sit quarta Modii pars, necesse est *Artabam Persicam* constare Modiis Romanis $6 \frac{3}{4}$; ac proinde continere libras aquæ, vinique $166 \frac{2}{3}$; frumenti $126 \frac{2}{3}$.

Artaba Ægyptia, continebat Modios Romanos quinque. De qua sermo est Danielis 14., *& impendebantur in eo per dies singulos similę Artabæ duodecim*: Item Isai. 5. ubi dicitur: *& triginta Modii sementis facient Modios tres*. Septuaginta, ut notat Hieronymus lib. 2. in Isai. verterunt *Artabas sex*, *quæ Mensura est Ægyptia Modiorum triginta*, corruptè viginti. Ex quibus liquet *Artabam Ægyptiam*

 æqua-

æqualem fuisse quinque Modiis Romanis, uno Modio minorem Attico Medimno; ac proinde habuisse libras aquæ, vinique 133 $\frac{1}{3}$ frumenti 100. farinæ 60. Quare pro cibo Beli cum duodecim Artabæ similæ impenderentur quotidie, ea summa erat sexaginta Modiorum Romanorum, ac proinde librarum similæ 720. Siquidem Sextarius continet farinæ uncias 4. Modius continet Sextarios 16. Artaba Modios 5. Videatur Perer. in Daniel., & Cornelius ibidem.

Artabæ Medorum meminit Polybius lib. 5., ut refert Perer. loc. cit., eamque idem Pererius cum Suida, & Hesichio tradit fuisse capacitatis ejusdem cum Medimno Attico; quapropter continebat illa Modios Romanos sex, ac proinde aquæ, vinique libras 160., frumenti 120.

BATUS Mensuræ Hebraicæ genus, cujus sæpè in Scriptura Sacra fit mentio. Sic 3. Reg. 7. *Duo millia Batos capiebat*: & Ezechiel. 45. *Et Batus justus erit vobis*. Notandum est autem, ut subtiliter Alcasarius observat

vat Tract. de Mens., & Pond. Batum fuisse Quincuplicem.

Primus, qui dicebatur major, ejusdem capacitatis cum Ephi, de quo dicitur Ezechiel. 45. *Ephi*, & *Batus æqualia*: hic autem par erat Romanæ Amphoræ, ac proinde continebat libras aquæ, vinique 80.

Batus secundus capiebat uncias aquæ centum: de quo *Bato* contendit Alcazar. loqui Sacram Scripturam, cum 3. Reg. 7. describit amplitudinem Maris Ænei à Salomone constructi: *ideo millia batos capiebat*: undè valde minuitur de immensa illa capacitate, quam Villalpandus, & alii tribuunt Mari Æneo. Fuit ergo hic secundus *Batus* minor primo unciis octingentis sexaginta, siquidem primus constabat Libris 80. Unciis proinde 960.

Batus tertius capiebat uncias aquæ 66 $\frac{2}{3}$ ex quibus Mare Æneum tria millia capiebat: Hujusque capacitatis *Batum* putat Alcazar fuisse in usu quo tempore scriptus est liber Paralipomenon.

Batus quartus erat quarta pars *Bati* secundi, ac proinde capiebat Uncias aquæ 25.

Batus quinctus continebat Uncias aquæ 6 $\frac{2}{3}$.

Cabus, qui & *Kabus* est Mensura Hebraica cujus fit mentio 4. Reg. 6., ubi dicitur tantum in Samaria famem invaluisse, ut *venumdaretur caput Asini octoginta argenteis, & quarta pars Cabi stercoris Columbarum quinque argenteis*. Capacitatem illius, ait Alcasar, fuisse decimam octavam partem Bati majoris, sive Ephi, ac proinde habuisse pondus Unciarum aquæ 53 $\frac{1}{3}$ quæ sunt pars decima octava Unciarum 960., quibus constat Batus major, sive Ephi.

Cadus genus vasis vinarii, sæpissimè à Scriptoribus memoratum. Virgil. 1. Æneid.

Vina bonus, quæ deinde Cadis onerarat Acestes,

& Martial. lib. 11. Epig. 36.

.... *senem poscunt talia vata Cadum*.

Fit etiam illius in Evangelii mentio Lucæ 16. *Centum Cados olei*; ad quem locum ait Cornel. Cadum habuisse Sextarios 60. comuniter tamen pro eodem accipi *Cadum*, & Batum. Undè S. Hieronymus in cap. 45. Ezechiel.: *De-*

Decima pars Cori in liquidis vocatur Batus, sive Cadus. Corus triginta habet modios. Undè colligitur *Cadum* habuisse capacitatem trium Modiorum, siquidem fuit decima pars Cori: ac proinde cepisse Libras aquæ, vinique 80. Paremque omninò fuisse Romanæ Amphoræ, itemque continuisse frumenti Libras 60. *Cadi* formam fuisse turbinatam colligitur ex Plinio lib. 27. c. 4., ubi loquens de Aloë: *ob id*, inquit, *in turbinibus cadorum eam servant.* Fuisse autem ejus, quam diximus Mensuræ Cadum asserit etiam Columella lib. 22. cap. 28. *Si vetustatem*, inquit, *servare voles, in Cado duarum Urnarum, &c.* atqui Amphora duabus Urnis constat.

Choenix Græcæ Mensuræ nomen. Varia hæc fuit. Nam communis Choenix, quam & Minam etiam appellatam reperimus, continebat Uncias aquæ 25., ut observat Alcazar Propofit. 18. At Cenalis ait *Choenicem Atticam* habuisse capacitatem Sesquisextarii, nempe Unciarum triginta. Cæterum *Choenix* in vulgari acceptione diurnum hominis cibum significat, eratque, ut notat Cornel. Quarta pars Modii; ac proinde con-

 tine-

tinebat Sextarios quatuor, Hemitias octo, ut ait Galenus lib. de Pond., & Mensur. *Choenix Cotylas, idest Heminas, habet octo;* Libras aquæ, vinique $6\frac{2}{3}$. Undè illud Pythagoræum *Choenici non insidendum*, hoc est adlaborandum esse, nec sedendo cibum expectando.

Congius notissima Romanorum Mensura. Nil ea frequentius apud Authores. Plinius lib. 14. cap. 9. *Cum quinque Congiis austeri musti.* Fuit *Congius* communi sententia quarta pars Urnæ, proinde octava Amphoræ; continebatque Sextarios sex, Uncias verò vini, & aquæ 120., frumenti verò 90. Hanc autem fuisse *Congii* capacitatem extra controversiam est, siquidem adhuc extant Æneì *Congii* veteres Romæ apud Farnesios, quorum meminere Villalpandus Alcazar, Ricciolius, & alii, ut suprà retulimus; in quorum uno sic legitur inscriptum: *Mensuræ exactæ in Capitolio pondo X.* Quod vas, pluviali aqua repletum, repertum est continere Libras 10. hoc est Uncias 120. A *Congio* Tricongii nomen traxit Torquatus Mediolanensis, ut refert Plinius lib. 14. cap. 22.: *uno im-*

impetu tribus Congiis epotis. Marcusque Ciceronis Magni Ciceronis filius, ut idem refert, *binos congios simul haurire solitus*. A *Congio* dictum Congiarium, quod erat donum publicè Populo ab Imperatoribus distribui solitum, quod fortè ab initio in *Congiis* daretur.

Corus Mensura Hebraica, & cæterarum Principum, sicut apud Romanos Amphora. *Cori* Capacitas apertè colligitur Ezechiel.45., ubi dicitur: *Batus olei decima pars Cori est: & decem Bati Corum faciunt, quia decem Bati implent Corum*. Cum enim Batus idem sit, quod Amphora, ergo Corus habuit Amphoras 10. De eo sic Hieronymus in eundem locum: *Corus triginta habet Modios, & in utraque mensura, hoc est, tam aridarum, quam liquentium tenet principium. Decima pars Cori in his, quæ modio mensurantur appellantur Epha, idest tres Modii: & decima pars Cori in speciebus liquidis vocatur Batus, sive Vadus: ut ejusdem mensuræ sit Epha, & Batus*, & in comment. cap. 5. Isaiæ ait: *Et pro triginta Modiis, quos nos pro Coro posuimus*. *Cori* ergo capacitatis erat triginta Modiorum, Sextariorum 480.

Ne.

Heminarum 960. Librarum aquæ vinique 800., frumenti 600. Undè ille, qui Lucæ debebat *centum coros tritici*, erat debitor Modiorum 3300. hoc est, Librarum frumenti 66000. Sic etiam 3. Reg. 4. dicitur Salomonis mensæ, omnes scilicet, qui in Palatio Regis sumptibus vivebant, computando, ministratos fuisse in dies singulos 30. *Coros* similæ, & 60. farinæ, nempe in totum panis Libras 57000.

COTYLA, & *Cotula* idem quod Hemina, nempe dimidium Sextarii, quatuor constans Acetabulis. Idem autem esse *Cotylam*, atque *Heminam*, testatur Galenus lib. de Pond., & Mensur. *Choenix Cotylas, id est Heminas, habet octo;* ac proinde aquæ, ac vini Uncias decem, olei novem. Meminit Cotulæ Martial. lib. 8. epist. 71.

Post hunc in Cotula rasa selibra data est:

hoc est, dedisti Cotylam argenteam sex Unciarum ponderis.

CULEUS Mensura Romana maxima.

xima. Meminit illius Varro lib. I. de Re Rustica: *In singula jugera dona Culea vini fiunt*. Et Plinius lib.7. c.24. *Junius Valens meruit in Prætorio, Augusti Centurio, vehicula cum Culeis onusta, donec exinanirentur, sustinere*: & lib.14. cap.4., quæ sit *Culei* capacitas exponit: *Digna*, inquit, *opera, quæ in Cæcubis, Setinisque agris proficeret, quando & postea sæpè numero septenos Culeos singula jugera, hoc est, Amphoras centenas quadragenas musti dedere*. Si enim septem *Culei* 140. Amphoras continent, ergo singuli viginti Amphoras capiunt; nam septies viginti efficiunt 140., nempe Libras aquæ, vinique 1600., frumenti 1200.

Culeo insuebantur Parricidæ apud Romanos, ac in Mare projiciebantur, ut liquet ex Cic. pro Sext. Roscio, undè jocus ille in Neronem matris interfectorem: deligata enim ascopera, bulga nempe coriacea ad collum ipsius statuæ quidam subscripsit: *Ego quod potui, sed tu Culeum meruisti*.

CYATHUS fuit duodecima pars Sextarii, ut ibi latiùs: Habuitque aquæ, vinique Unciam $4\frac{4}{6}$

E-

EPHA, & *Ephi* idem, quod Batus major, ut dictum est auctoritate Ezechiel., & Hieronymi in eundem locum. Vide. V. *Batus*.

GOMOR Mensura Hebraica, sepè in Scriptura memorata. Exod.16., *& Mensi sunt ad Mensuram Gomor*. Et infra: *In die autem sexta collegerunt cibos duplices, idest, duo Gomor per singulos homines*: ex quibus facilè arguitur *Gomor* fuisse apud Hebræos, quod Græcis Choenix, nempe diurni cibi pondus. Sed manifestam habemus *Gomor* capacitatem ex Sacra Script. ibid. in fine capitis, ubi habetur: *Gomor autem decima pars est Ephi*: cum autem Ephi idem sit quod Batus major, cum ille caperet libras aquæ: vinique 80., oportet capacitatem *Gomor* fuisse Librarum octo aquæ, vinique. Dictus est etiam *Gomor Assarion*, & sic eum vocat Josephus lib.3. Antiquit. cap.7., quod idem est, ac *Decima*. Alii aliam tribuunt *Gomor* capacitatem; ego Alcazario adhæsi.

HEMINA vide *Cotyla*.

HIN

HIN Mensura Hebraica. Fit ejus mentio Levitici 19. n. 36. secundum Hebraicam lectionem, ut observat Cornel. ibi, & Alcazar. de Mens. & Pond., ubi Vulgatus Interpres pro *Hin* reposuit *Sextarium*: sive quia, ut notat Cornel., cum non sit Mensura Romana, vel Græca respondens ex æquo Mensuræ Hebraicæ, Interpres posuit nomen Mensuræ notissimæ, cum alioquin, ut idem Corn. ait, *Hin* contineat Sextarios Romanos 12.: sive, ut meliùs censet Alcazar., quia *Hin* est sexta pars Bati majoris; ideo ab Interprete loco *Hin* repositus est Sextarius: ac proinde *Hin* capiebat Libras aquæ, aut vini 10., uncias $3\frac{1}{3}$, cum Batus sit Librarum 80.

LETHEC Mensura Hebraica aridorum. Ejus capacitas est dimidii Cori, nempe Modiorum quindecim, Librarum aquæ, vinique 400., frumenti 300. Dicitur *Lethec* ab elevatione, quod est sarcina, quæ à vegeto adolescente potest imponi jumento sinè alterius auxilio. Ita Alcazarius.

LOG

LOG Mensura Hebraica liquidorum. Ejus capacitas fuit ferè Sextarii Attici, qui, ut tradit Galenus l. de Ponder. & Mensur., capiebat Uncias aquæ 15.

MEDIMNUS Græcæ Mensuræ nomen. Meminit illius sæpè Tullius in Verrinis. Ejus capacitas, ut scribit Budæus lib. 5. de Asse, fuit Modiorum sex. Tradit id apertè Suidas: *Medimnus*, inquit, *mensura est aridorum, ut tritici, vel hordei: Medimnum igitur est mensura sex Modium*. Colligiturque apertè ex Tullio loc. cit., ubi ait, Verrem auxisse pretium frumenti, Medimnumque, qui priùs ex lege 12. Sestertiis vænibat, vendidisse 15. H.S., & deinde subjungit: *est enim Modius lege Sestertiis duobus*. Si ergo Modius Sextertiis duobus extimabatur, *Medimnus* verò eadem lege æstimabatur 12., oportuit *Medimnum* habuisse Modios sex: ac proinde fuisse capacitatis duarum Amphorarum, habuisseque Libras aquæ 160., frumenti 120. Idem apertiùs constat ex eodem Tullio Act. 2., ubi sic ait: *Agri Leontini Decumæ anno tertio væ-*

nierunt Tritici Medimnum XXXVI. *millia, hoc est tritici Modium ducentum sexdecim millium:* ergo Modius sexta pars *Medimni*, nam triginta sex millia est pars sexta ducentorum sexdecim millium.

METRETA Mensura Græca. Meminit illius Evangel: Joan.2. *Erant ibi lapideæ Hydriæ sex, capientes singulæ binas Metretas, vel ternas.* Erat autem *Metreta*, ut jam dictum est, idem cum Amphora Attica; capiebatque Sextarios septuaginta duos, ac proinde major erat Amphora Romana tertia parte; quapropter continebat aquæ, vinique Libras 120.

MODIUS, Mensura Romana, erat tertia pars Amphoræ, Sexta Medimni: continebat Sextarios 16. Heminas 32., aquæ, ac vini Libras 26 $\frac{2}{3}$ frumenti 20.

QUADRANTAL. Vide Amphora.

QUAR.

QUARTARIUS fuit Quarta pars Sextarii, ac proinde Uncias aquæ, vinique 5.

SATUM Menſura Hebraica, de qua in Evang. *abſcondit in farinæ ſatis tribus*. Ejus capacitas fuit tertiæ partis Ephi: undè, ut notat Alcazar., à Vulgatæ Interprete pro *Sato* ponitur Modius. Modius ſiquidem erat tertia pars Amphoræ, quæ Bato Majori, & Ephi æqualis. Continebat igitur *Satum* Libras aquæ, vinique $26\frac{2}{3}$, frumenti 20.

SEXTARIUS Menſuræ Romanæ nomen, ſic dictus, quod eſſet Sexta pars Congii. Paſſim reperitur Sextarii mentio apud Scriptores. Columella lib. 2. cap. 9.: *quippe Sextarius ferè quatuor jugerum implent*. Et apud Livium lib. 7. memoratur *Sextarius vini*, & apud Tullium 2. offic. *Sextarius aquæ*. Fuit ergo *Sextarii* capacitas Unciarum aquæ, vinique 20., olei 18., frumenti 15., farinæ 9., mellis 30., plumbi 233., ſtanni 150., cupri 182., ar-

Argenti 207., ferri 161., auri 375. secundum proportionem harum rerum, quam in tractatu de Ponderibus retulimus.

SEXTARIUM, ficuti de Affe dictum eft, in partes duodecim, velut Uncias, divifum reperio: quarum fingulæ dicebantur Cyathi, capiebatque Cyathus vini, & aquæ Unciam, & $\frac{4}{6}$. *Sextans* capiebat duos Cyathos: *Quadrans*, & *Quartarius* tres, nempe quartam partem Sextarii. *Triens* quatuor Cyathos: *Quincunx* quinque Cyathos: *Hemina*, vel *Cotyla*, fex *Cyathos*: *Septunx* feptem *Cyathos*: *Bes* octo Cyathos: *Dodrans* novem Cyathos: *Dextans* decem Cyathos: *Deunx* undecim Cyathos. Erat igitur Cyathus vulgaris in menfa apud veteres unius potionis menfura. Hinc lux affulget illis Martialis lib.8. Epigr.51.

Det numerum Cyathis inftantis litera Rufi:
Auctor enim tanti muneris ille mihi.
Si Theletufa venit, promiffaque gaudia portat,
Servabor Dominæ, Rufe, Triente tuo.

 Si

Si dubia est, Septunce trahar te, &c.
& illis
Quincumces, & Sex Cyathos, Bassemque bibamus:
& lib. 12. Epigr. 28.
Poto ego Sextantes, tu potas Cinna Deunces.
Illud etiam observandum est cum Villalpando, quem sequuti sumus, eandem fuisse capacitatem *Sextarii Romani*, *Attici*, & *Hebraici*: quamquam Alcazarius diversam fuisse contendat: ita ut *Romanus* habuerit Uncias aquæ viginti, *Atticus* quindecim, *Hebraicus* $13 \frac{1}{3}$.

URNA Mensura Romana notissima. Ea duplex Amphoram constituebat, ut ex Columella lib. 13. colligit Bud. lib. 5. de Asse, proinde Congiis quatuor constabat; Sextariis 24.; Heminis 48.; Cyathis 288.; Libris aquæ, ac vini 40. *Urna* fictili, cujus forma in fine turbinata, ac desinens in acumen, ut faciliùs terræ infigeretur, cineres defunctorum Antiqui condebant, undè idem Urna, ac Sepulchrum. Indè Lucan.

Cælo

Cælo tegitur qui non habet Urnam. Quarum Urnarum plurimas sæpè Romæ spectavi, ex antiquis Monumentis plurimas erutas : earumque speciem exhibet Grutherius de jure Manium. Lib. 2. cap. 24.

Hæc habui, quæ breviter, & expeditè de Liquidorum, Aridorumque Mensuris ex molestissimis Commentationibus expressa Juventuti proponerem, non sinè multo labore ; cum in hac materia verissimum sit, tot esse sententias, quot capita : undè Hieronymus in Præfat. lib. 14. in Ezechiel. illam partem expositurus, in qua de Ponderibus, & Mensuris agitur, Virgilianum illud usurpat:

Hic labor, ille domus, & inextricabilis error.

Quarè facilis erit erroris venia ex errandi facilitate, & quod non nisi cum magnis, ac doctis Viris erravimus.

DE MENSURIS LONGITUDINIS.

PARS POSTERIOR.

INtervallorum Menſuras, ut obſervat Vitruvius lib. 3. cap. 1. *ex corporis membris* antiqui homines collegerunt, ut etiam repugnanti apertiſſimè demonſtrant nomina Pedis, Cubiti, Digiti, & Palmi. Tantam enim ſymmetriam, ac tam admirabilem partium inter ſe coaptationem in humano corpore formando Divinus ille Artifex ſervavit, ut ex illo, tanquam à prima regula, cæterarum omnium rerum proportiones, atque Menſuræ deſumerentur. Undè idem Vitruvius loc. cit. affirmat: *non poſſe Ædem ullam ſine ſymmetria, & proportione, rationem habere compoſitionis, niſi ut ad hominis benè figurati membrorum habuerit exactam rationem*. Quapropter etiam Plato ille divinus in Theæteto non dubitavit aſſerere *Hominem rerum omnium*

esse Mensuram. Undè Mensurarum quantitas major, minorve secundum staturam illius hominis, quam singulæ Nationes pro prima Mensurarum regula constituerunt; nam qui procerum aliquem virum pro prima Mensura elegerunt, ii consequenter majores Digitos, Pedes, Palmos, Cubitos, Passus habuerunt illis, quibus fuit Mensuræ primæ loco vir submissioris staturæ; & indè orta inæqualitas in Mensuris Græcis, Romanis, Hebraicisque, ut operis processu videbimus. In his autem Mensuris exponendis brevem operam impendemus, iis ducibus, qui de hac re subtiliter, & exactè scripserunt, quales sunt Budæus, Cenalis, Clavius in Sphæra, Villalpandus, & Alcazarius; & novissimè Joannes Baptista Ricciolius, qui omnium labores in suum opus Geographicum derivavit lib. 2.

Quoniam verò *Pes* omnium Mensurarum est princeps, & ad eam cæteræ referuntur, visum est hìc extra ordinem Nomenclaturæ ejus cognitionem Lectori proponere, quo faciliùs ea, quæ mox dicentur, Juvenis percipiat: nec semper illi in suspenso hærendum sit, donec prope ad extremum

mum operis perveniat.

Cum ergo dictum sit, omnes Mensuras ab humani corporis figuratione originem habuisse, omnium Architectorum consensu à *Pede* metiendi factum initium, quem humani corporis Sextam partem computarunt: undè Vitruvius lib. 3. c. 1.: *Pes hominis altitudinis sextam habet partem, ita etiam ex eo quod perficitur pedum numero, corpus his sex altitudinibus terminando eum perfectum constituerunt:* quod etiam Hesychius, Suidas, Pollux, aliique complures tradunt, quamquam, ut notat Alcazar. Tract. de Ponder. & Mensur. prop. 8., *Pes* communiter sit sexta pars humani corporis, & ferè dimidia: nihilominus Architecti, ut rotundam aliquam, & expeditam Mensuram haberent, in eo convenerunt, ut humanæ staturæ sextam partem *Pedi* tribuerent, ad quem deinde cæteras omnes Mensuras referrent; nam & Palmum dixerunt, quæ est quarta pars *Pedis*; & Cubitum qui *Pedem* continet cum dimidio; & Pollicem qui est *Pedis* pars duodecima; & Passum qui *Pedes* habet quinque; & Milliare qui *Pedes* habet 1000., atque ita *Pes* tanquam Mensurarum

omnium regula cæteris dimetiendis adhibita.

Quoniam verò non eadem ſtaturæ altitudine, ut prædictum eſt, Nationes univerſæ utebantur, idcirco *Pedes* quoque pro magnitudine corporum, quorum ſexta pars erant, inæquales fuere. Quare alia fuit Romani *Pedis* magnitudo, alia Græci communis, alia Olympici, alia Hebraici, de quibus ſingillatim agetur.

Pedis magnitudo, qua Romani per Auguſti, & Veſpaſiani tempora utebantur, illa eſt, quæ adhuc impreſſa cernitur in duobus Æreis Congiis, qui Romæ viſuntur in Ædibus Farneſiorum, ut jam dictum eſt, cum de Amphora ageremus; eamque primus publici juris fecit Villalpandus tom. 3. in Ezechiel., quem cæteri ſecuti ſunt, nempe Lucas Pætus de Menſ., & Ponder., Marin. Ghetald. in Archimede redivivo, Ricciol. tom. 1. lib. 2. cap. 7., Almag. novi, & lib. 2. Geograph. cap. 2., & Alcazar. de Pond., & Menſ. propoſ. 1. Hujus ergo Pedis par quarta eſt, quæ inter A B continetur. Vide figur. 2.

Hanc *Pedis* mangnitudinem, cujus hic partem quartam ſpectas, quemad-

admodum Assem, diviserunt Romani in partes duodecim, quas Uncias appellarunt: undè legitur apud Scriptores *uncialis altitudo*, ut apud Plinium lib. 18. cap. 16., & *unciales literæ*, ut apud Hieronymum in Præfat. in Job, quod nempe constarent magnitudine Unciæ *Pedis* Romani, seu duodecimæ partis ejusdem. Sic etiam in fontibus Uncia Aquæ appellatur, quæ, ut ait Cenalis, fluit per siphonem, seu epistomium, cujus diameter est magnitudine Unciæ *Pedis*, illudque implet, qua de re consulendus est Julius Frontinus lib. 1. de Aquæ ductibus. Partes ergo *Romani Pedis* fuere.

Uncia, quarum duodecim *Pedem* constituebant.

Pollex, seu crassior digitus per latum, qui Unciæ æqualis est: undè quam Plinius lib. 15. cap. 24. *Pollicarem* appellat *crassitudinem*, idem significat, ac latitudinem Romani Pollicis, ac proinde Unciæ æqualem.

Sextans, sexta pars *Pedis*, sive Unciæ duæ *Palmus* minor quatuor ordinariis digitis in latum constans, sive Unciis tribus, ac proinde quadrans dictus, quod esset *Pedis* pars quarta.

Triens. Tertia pars *Pedis*, sive Unciæ quatuor. *Quin-*

Quincunx habet Uncias quinque.

Sexcunx, ut *Semissis*, Unciæ, seu *Pedis* dimidium.

Septunx septem Unciæ.

Bes, seu maxima extensio manus ab extremo Pollicis ad extremum Indicis, habet Uncias octo, sive duos Quadrantes.

Dodrans, seu *Palmus* major, quem Græci Spithamam, nos dicimus *Spanna*, nempe maxima extensio manus ab extremo Pollicis ad extremum Auricularis, habet Uncias novem.

Dextans habet Uncias decem.

Deunx habet Uncias undecim. Sic enim dicitur, quod illi ad Assem integrum una desit Uncia. Et hæ quidem Mensuræ *Pedem* constituunt. Ex *Pede* autem fiunt Passus, & Cubiti: ex Passibus Stadia: ex Stadiis Milliaria, de quibus infra dicetur.

Pes Græcorum duplex fuit, alter Mediocris, qui ferè Par Romano extitit; alius Magnus, qui & Herculeus, & Olympicus, eo quod essent ad mensuram *Pedis*, quo Hercules taxavit Stadium Olympicum, quod ut scribit Gellius lib. 1. cap. 1, *sexcentis pedibus metatus est* ipse Hercules. Hic ergo *Pes* fuit major Romano *Pede* una

una tantum Semiuncia, undè portio inter A B erat quarta illius pars. Vide figur. 3.

Singuli autem horum *Pedum* erant ſexta pars ſtaturæ ſui generis: conſtabantque ſinguli Palmis quatuor, ſeu Digitis ſexdecim: ex uno, & ſemiſſe eorum fiebat Cubitus: ſex conſtituebant Orgyam, ſeu Paſſum: Sexcenti verò Stadium: ſinguli tamen ſui generis, aut Mediocre, aut Olympicum.

Pes Hebraicus, prima Menſurarum Hebraicarum, erat, ut & Græcus, & Romanus, ſexta pars Hebraicæ ſtaturæ: illum conficiebant Palmi quatuor, Digiti ſexdecim: ex eo, & Semiſſe conſtabat Cubitus Hebraicus; Calamus verò ex Cubitis ſex, & Palmo. Erat autem *Pes Hebraicus* major Romano Unciis tribus, & $\frac{75\frac{1}{3}}{100}$; quarè portio inter A B fuit quarta Pedis Hebraici portio. Vide figur. 4.

Fuit etiam *Pes Alexandrinus*, cui par Samius, & Byzantinus; qui erat magnitudine *Pedis* Romani, & duarum Unciarum, ac $\frac{40}{100}$

Item *Pes Babylonicus*, qui fuit ma-

magnitudine Romani *Pedis*, & unius Unciæ, & med.

Pes autem *Antiochenus* constitit Romano *Pede* Unciis quatuor, & $\frac{32}{100}$ ex computatione Ricciolii.

Ex quibus maxima lux dicendis affulgebit : ac facilè admodum erit ex notitia *Pedis*, cæteras Mensuras percipere, quæ ex illo vel illam formant : tum etiam comparatione *Pedis* Romani, cujus notio exactè tenetur, cætera omnia intervalla, ac spatia dimetiri.

ACTUS, ut Varro lib.1. cap.10. de Re Rust. Colum. lib.5. cap.5. item de Re Rustica, Plinius lib.8. cap.9. est spatium terræ quadratum habens quaquaversum CXX. Pedes Romanos, ita ut omnis ambitus sit Pedum CCCCLXXX. Constat autem Romanis Pedibus quadratis 14400.; centies enim vicies centeni viceni hanc summam efficiunt. Erat autem *Actus* dimidium Jugeri, ut dicemus V. Jugerum.

ARURA, genus Mensuræ Terræ dimentiendæ instituta. Meminit hujus Mensuræ Herodotus lib.2. *Habet*, inquit,

quit, *Arura centum Cubitos Ægyptios quaquaverſum*. Reperitur quoque illius mentio apud Joſephum lib. cont. Appionem. Cubitus autem Alexandrinus fuit par Pedi Romano, & duabus Unciis ejuſdem, ac $\frac{60}{100}$. Quod Menſuræ genus fuit admodum ſimile Romano Jugero, quod etiam per quadratum menſurabatur, ut ſuo loco dicemus. Fuit ergo *Arura* ſpatium terræ quadratum, cujus ſingula latera Romanos Pedes continebant $166\ \frac{2}{3}$ univerſa autem $666\ \frac{2}{3}$, quare ambitus *Aruræ* erat Milliaris antiqui Romani, & præterea Pedum 166. Quid autem intereſſet inter Pedem Romanum Antiquum, & Pedem Modernum, dicemus in V. Pes, & V. Milliare.

ASCENA, Menſura Græca, cujus meminit Hero in Iſagoge. *Diaulon*, inquit, *habet ſtadia duo : Plethra duodecim : Aſcena centum viginti*. Ex quibus patet *Aſcenam* fuiſſe ſexageſimam partem Stadii Alexandrini, de quo ibi loquitur Hero, ut rectè col-

colligit Ricciol. lib. 2. Geograph. c. 4. Habuit autem *Ascena* duodecim Pedes Romanos Antiquos.

CALAMUS, Mensura Hebraica *Chene* ab eis dicta: nobis autem *Canna*: Romanis antiquis Decempeda. Ejus quantitas describitur ab Ezechiel. cap. 40. *In manu viri Calamus mensuræ sex Cubitorum, & palmæ.* Cum autem Cubitus Hebraicus, ut mox dicetur, contineret Romanum Pedem, ac præterea Uncias undecim, & $\frac{62\frac{1}{2}}{100}$, oportuit Calamum habuisse Pedes Romanos 12. Uncias, & $\frac{56\frac{1}{4}}{100}$ Unciæ. Hujus magnitudinis fuit Goliath Gethæus, qui 1. Reg. 17. dicitur *fuisse sex Cubitorum, & Palmi*, nempe magnitudine Calami.

CHIBRATH TERRÆ Mensura est Hebraica mille Cubitorum. *Iter* autem *Sabathi*, de quo in Scripturis fit mentio Actor. 1., quia illud Sabathi

thi die excedere non licebat, constabat duobus *Chibrath*, seu duobus Cubitorum millibus, ut tradit Origenes apud Oecumenicum; referuntque Lorinus, & Cornelius in 1. Act., nempe duobus milliariis parvis Hebraicis, quorum singula constabant Hebraicis Cubitis mille, ut scribit Bonfrerius Exodi 20. n.8.; Stadiis verò Romanis duobus, & med. Quare *Chibrath* constabat mille Cubitis Hebraicis; Romanis Pedibus 1463., Unciis 6.; Stadiis verò Romani 2. & med.

CUBITUS, seu *Cubitum*, ut nomen ipsum ostendit, à brachii humani flexura, quæ Cubitus appellatur, nomen habet. Est autem Cubitus, ut indicat Julius Pollux, *Mensura quantum à flexura Cubiti usque ad medium digitum patet*. Quod ipsum tradit Suidas v. Cubitum, ubi ait: *Cubitum est extensio à Cubito ad digitos manus*. Magnitudo Cubiti in universum fuit Sesquipedalis, ut idem Suidas tradit. *Cubitum verò habet Pedem unum, & dimidium*. Et Hesychi.: *Cubitum est Pes unus cum dimidio*: secundum autem varietatem Pedum, ex quibus compo-

ponebatur major, vel minor. *Cubitus* enim *Romanus* constabat Romano Sesquipede: *Olympicus*, sive *Herculeus* Pede Herculeo, & dimidio: *Hebraicus* item Sesquipedalis ad Mensuram Hebraici Pedis fuit.

Cubitus igitur *Romanus* constabat Pede Romano, & dimidio, cujus quantitas petenda est V. Pes.

Cubitus Græcus communis constabat Sesquipede Græco communi, nempe Palmis sex minoribus, Digitis 24.; Pedibus verò Romanis uno, & Unciis sex.

Cubitus Græcus Herculeus, sive *Olympicus*, constabat Sesquipede Olympico, Pedibus verò Romanis uno, Unciis sex, & quarta parte Unciæ.

Cubitus Hebraicus, & ipse Sesquipedem Hebraicum habuit, nempe Palmos sex, Digitos autem 24. Dictus Hebraica voce *Amach*: eratque etiam ipse pars brachii virilis à flexura ejusdem usque ad extremum medii digiti manus porrectæ: ut censent Hebræorum doctissimi, quibus subscribunt Arias Montan. Opuscul. de Sacris Mensur., Joan. Budæus de Arca Noe, Villapandus tom.3. in Ezechiel. par.2. lib.3. cap. 16. & 17., & Salian. ad Ann.

Ann. Mundi 1557. n. 13., qui addit: *Cubitum*, quo Arca Noe dimensa fuit, *Sequispedem fuisse*, *& Digitorum majorum* 18.; *minorum* 24., *& à flexu brachii ad extremum manus viri proceræ staturæ*: & ante illos Hieronymus in cap. 40. & 43. Ezechiel. ait, *Palmum esse sextam Cubiti partem*. Habuit autem Cubitus Hebraicus Pedes Romanos unum, Uncias undecim, & $\frac{62.\frac{1}{2}}{100}$ Unciæ, ut colligit Ricciol.

De *Cubito Hebraico* magna est apud Autores varietas: nam inprimis quidam Rabbini, & Serarius in 3. Reg. c. 6. duplicem Cubitum induxerunt, unum majorem, & ordinarium Palmorum sex; alterum minorem Palmorum quinque: sive unum Sacrum, & Legalem majorem; alterum verò Prophanum, & minorem. Item Rabbi David excogitavit unum Cubitum majorem, æqualem toti brachio ab axilla usque ad extremum manus extentæ; alterum verò minorem, & Semibrachio æqualem, à flexura scilicet usque ad extremum manus. His autem opinionibus occasionem dedere aliqua Scripturæ loca, præcipuè autem 2.

Paralip. 3. n. 3., ubi nominatur *Cubitus primæ Mensuræ*, quasi cum respectu ad Cubitum secundæ Mensuræ, ut hi interpretantur.

Tamen, ut antea dictum est, cum de Siclo ageretur, nulla est ex Scripturis necessitas inducendi hanc Ponderum, ac Mensurarum duplicitatem; præcipuè Domino reclamante, apud quem Prov. 20.: *Pondus*, *&* *Pondus Mensura*, *&* *Mensura : utrumque abominabile est*. Sicut ergo, salvo Sacræ Scripturæ sensu, illa verba *Pondere Sanctuarii* interpetrati sumus, non quod aliud esset Pondus Prophanum alud Sacrum; sed quod in Sanctuario prima Pondera asservabantur, quibus tum planè justa erant alia Pondera, cum ad amussim respondebant: sic etiam hìc dicimus *Cubitum primæ Mensuræ* illum à Sacra Scriptura intelligi, qui in sacro loco asservabatur, ut à Romanis Mensuræ in Capitolio asservabantur, ut esset prima Regula, & Mensura, cui cæteræ omnes conformarentur; ut sentiunt Perer. tom. 2. in Genes. lib. 10. disp. 3. Villap. in Ezechiel. tom. 2. lib. 4. c. 24., & Ricciol. lib. 2. Geograph. c. 5. Atque secundum Mensuram Cubiti, quem sta-

ſtatuimus longitudinis unius Pedis Romani, Unciarum undecim, & $\frac{62\frac{1}{2}}{100}$, dimetiendæ ſunt omnes quantitates, quæ in Scripturis per Menſuram *Cubiti* exprimuntur.

Cubitus Alexandrinus, cujus meminit Herodot. lib. 2., conſtitit Seſquipede Ægyptio: nempe Romanis Pedibus uno, Unciis 9., & $\frac{60}{100}$ Unciæ. Ei par fuit *Cubitus Samius*, ut aſſerit eodem loco Herodotus, nec non Byzantius, ut putat Ricciolus.

Cubitus Babylonicus, ſeu *Regius*, quo nempe Babylonii utebantur, habuit magnitudinem unius Pedis Babylonici cum dimidio. Quæ fuerit hujus *Cubiti* quantitas, ſic aperit Herodot. lib. 1., ubi ſic de moenibus Babylonis: *Murus quinquaginta Cubitorum Regiorum craſſitudine, ducentorum altitudine: Cubitus autem Regius mediocri Cubito tribus digitis major eſt*. Ubi pro Cubito mediocri intelligit communem Græcorum Cubitum ad diſcrimen Cubiti Herculei, qui major, utpote hominis Heroici. *Cubitus* igitur *Babylonicus* fuit amplior Græco

communi Digitis tribus, habuitque Romanos Pedes unum, Uncias octo, & $\frac{1}{4}$.

Cubitus Antiochenus, quo Syri utebantur, ab Antiochia Syriæ Urbe celeberrima nuncupatus. Ejus magnitudo colligitur ex Herone in Isagoge, ubi ait: *Antiochenam Metretam, sive Amphoram, esse Italiæ duplam sesquialteram:* seu ut quinque ad duo. Undè Pes Antiochenus ad Italicum erit, ut latus Cubi 5., ad latus Cubi 2.; & sic, ut Ricciol. computat, Pes Antiochenus continebit Pedem Romanum, Uncias 4 $\frac{32}{100}$; *Cubitus* verò Pedes Romanos duos, & Uunciæ $\frac{48}{10}$.

DECEMPEDA Mensura Romana magnitudine Decempedum Romanorum, ut ipsum nomen indicat. Ea etiam Pertica à portando dicta, quasi Portica, ut ex Libell. de Limitibus. Meminit Decempedæ Tullius 14. Philip., & pro Milon. *Qui cum Architectis, & Decempedis villas multorum, hortosque peragrabat*. Ab ea Mensores

res dicti Decempedatores, quos hodie Agrimensores dicimus, qui ad agros dimetiendos etiam nunc utuntur Pertica.

DIAULON Græca Mensura. Ea fuit duorum Stadiorum, ut scribit Vitruvius lib. 5.: *In palæstris Peristylia quadrata, sive oblonga, ita sunt facienda, uti duorum Stadiorum habeant ambulationis circuitionem, quam Græci vocant Diaulon*. Dicebatur autem Diaulos, seu Diaulodoremus is, qui in Ludis Olympicis Stadium cursu confecerat, & rursus à meta ad carceres recurrebat: *Diaulodromas* enim Græcè est recurrere. Et quoniam Cursus ille duo Stadia continebat, unum accedendo, alterum retrocedendo, idcirco spatium ipsum *Diaulon* dicebatur. Erat igitur *Diaulon* $\frac{1}{4}$ milliaris Romani antiqui.

DIDORON vide *Palmus*.

DIGITUS, Mensurarum minima apud

apud omnes Nationes eſt quantitas latitudine ordinarii Digiti per latum æqualis, & apud omnes fuit quarta pars Palmi minoris, qui conſtat latitudine quatuor Digitorum, nempe Indicis, Medii, Annularis, & Auricularis; qui tamen computantur æquales in latitudine. Fuit autem Digitus major, minorve ſecundum magnitudinem illius ſtaturæ, quam ſibi unaqueque Natio pro menſura conſtituit, eadem tamen ubique proportione ſervata, ut Digitus ſit decimaſexta pars Pedis, nam, ut ait Vitruvius lib. 3. c. 1., *Palmus habet quatuor digitos; ita efficaciter uti Pes habeat ſexdecim digitos*, Romanus nempe Digitos Romanos, Græcus Græcos, Hebraicus Hebraicos. Pollex autem, ſeu Digitus craſſior fuit duodecima pars Pedis, ut ſuo loco dicetur.

DIPLETHRUM, duplex Plethrum. Vide V. Plethrum.

DOLICHUS Græca Menſura, cujus meminit Hero in Iſagoge his verbis: *Dolichum* (habet) *ſtadia* duo-

duodecim : At verò Suidas V. Dolichus inquit, *Dolichus est longus cursus 24. stadia continens*. Secundum Heronem ergo Dolichus fuit spatium Romani Milliaris unius, & med., secundum Suidam trium; sed in Suidæ textu putamus mendum irrepsisse, cum potior sit Heronis fides.

DORON Vide *Palmus*.

HIPPICON Mensuræ Græcæ nomen, cujus meminit Plutarchus in Solone: *Legem*, inquit, *præscripsit*, *ut ubi publicus esset puteus*, *eo aquatum intra spatium Hippici*. Est autem *Hippicon* spatium quatuor Stadiorum; nempe dimidii Milliaris Romani. Dicebatur autem *Hippicon* ab equorum cursu, quod nempe per id spatium equorum fierent agitationes.

JUGERUM fuit apud Romanos terræ spatium, quod in longitudinem porrigebatur Pedibus 240., in latitudinem verò 120.: undè universus Jugeri ambitus erat Pedum 720. Fuit

autem hoc ſpatium terræ appellatum hoc nomine, *quod*, ut inquit Plinius lib. 18. cap. 3., *uno jugo boum in die exarari poſſet*. Ejus magnitudo, quam prænotavimus, inſinuatur à Varrone lib. 1. cap. 10. de Re Ruſtica: *Jugerum* vocant, *quod quadratos duos Actus habeat: Actus quadratus, qui & latus, eſt Pedes centumviginti, & longus totidem*, nam Jugerum habet duos Actus. Actus autem ſinguli Pedes quadratos 120.; ergo Jugerum habebit duo latera 240. Pedum, duo verò 120. Paria Varroni ſcribit Plin. lib. 18. c. 3. *Jugerum*, inquit, *vocabatur quod uno jugo boum in die exarari poſſet. Actus, in quo boves agerentur, cum aratur, uno impetu juſto. Hic erat CXX. Pedum: duplicatuſque in longitudinem Jugerum faciebat*. Magis autem apertè Quintilianus lib. 1. cap. 10. ait: *Jugeri menſuram CCXL. longitudinis Pedes eſſe; dimidioque in latitudinem patere*: cui conſentit Appianus lib. 1. Civil. qui ſcribit, *Jugerum fuiſſe tantum ſpatii, quantum uno die par boum arare poterat: ejuſque menſuram fuiſſe CCXL. Pedum in longitudine, CXX. in latitudine: Menſuram Pedis fuiſſe Palmorum quatuor: Palmi Digitos*
qua-

quatuor : *Digiti ſecundum Geometras, tria hordei grana*. Nec Columella diſſentit, qui lib.5. c.1. *Actus*, inquit, *quadratus undique finitur pedibus CXX: hoc duplicatum facit Jugerum; & infra : duo Actus faciunt Jugerum longitudine* Pedum *CCXL.*, *latitudine CXX.*, *quæ utræque ſummæ, inter ſe multiplicatæ, quadratorum faciunt Pedum viginti octomilia, & octingentos*. Nam centiesvicies duceni quadrageni efficiunt 28800. Fuit ergo in hunc modum Jugeri forma. Vide figur.5.

Paſſim apud Authores Jugeri mentio reperitur. Horat.

Arat Falerni mille Fundi Jugera.

& Liv. lib. 41. *Et Lucam Colonia eodem anno MM Civium Romanorum ſunt deducta*. *Triumviri deduxerunt P. Ælius, L. Egilius, Cn. Sicinius*. *Quinquagena, & ſingula Jugera, & Semiſſes agri in ſingulos data ſunt*.

LYCHAS, Menſura Græca, illud ſpatium amplectens, quod includitur inter Pollicem, & Indicem, quantum poteſt extentos. Eſt autem *Lychas* duæ tertiæ partes Pedis Græci, ſeu Di-

Digiti 10 $\frac{2}{3}$, ficut apud Latinos *Bes* continet duos Trientes Pedis Romanis, five Uncias octo.

MILLIARE, Celeberrima Menfura, fic dictum quod mille Paffibus conftaret: Fuit autem pro Gentium, ac Nationum varietate multiplex.

Milliare Romanum conftabat Romanis Pedibus quinque millibus: Paffibus Geometricis, quorum finguli conftabant quinque Romanis Pedibus, mille: Stadiis verò Herculeis octo. Ifidorus lib. 15. orig. cap. 16. *fingula*, inquit, *Stadia centum viginti-quinque Paffibus explicata, quorum octo millenos paßus abfolvunt*. Et Suidas V. Milion *Milliare*, inquit, *Terræ eft Menfuræ, nam decem Milliaria continent Stadia octoginta*.

Milliaria autem Romæ numerari incipiebant à Columna quadam ab Augufto Cæfare, cum effet Curator Viarum, in foro pofita, ut fcribit Dio lib. 54. Ea fuit ad Saturni ædem, ut fcribunt Tacitus lib. 1. Hiftor., & Suetonius in Oth. cap. 6.; nec diffentit Plinius lib. 3. cap. 5., dum ait cum Co-

Columnam *ſtatutam in capite Romani Fori :* ſiquidem Saturni ædes fuit ad Fori caput, ubi nunc S. Adriani Templum, ut ſcribit Faunus lib. 2. c. 11. Antiquę Urbis. Vocabatur autem hæc Columna Milliarium aureum, quod ex eo metallo, ut cenſet Lipſius ad lib. 1. Hiſtor. Taciti, & conſentit Plut. in Galba : *In forum*, inquit, *ibat ad eam partem, in qua ſtabat aurea Columella, ad quam omnes Italiæ viæ terminantur.* Memoratur hoc nomine Aurei milliarii à Tacito loc. cit., ubi de Othone loquens : *Inde ad milliarium aureum ſub ædem Saturni pergit :* & Sueton. cap. 6. in Oth. *Sub æde Saturni ad milliarium aureum.*

Ab ea igitur Columna numerabantur *Milliaria* per Columellas, ſeu cippos ad ſingulos mille paſſus erectos, cujus rei fuit inventor C. Gracchus, ut ſcribit Plutarchus in ejus vita : *Ad hæc*, inquit, *vias omnes per milliaria dimenſus Columnas lapideas ſignandi cauſa notavit.* Cujus moris, Romana planè magnificentia digni, meminit etiam Strabo lib. 7. : *Ex Apollonia*, inquit, *per Macedoniam via eſt Jamnia, quam per millia paſſuum dimenſi ſunt, lapideaſque Columellas.*

Et

Et Romæ in aſcenſu Capitolii una ex his Columnis antiquæ baſi impoſita cernitur, in cujus faſtigio, quæ res ſanè majeſtatem auget, Ænea pila inſiſtit: colligiturque ex Inſcriptione, eam fuiſſe Notam Primi ab Urbe Milliarii. Quæ res mirificè ad levandum Viatorum tædium faciebat, quibus ex ignorantia termini longiora fiunt itinera; quaſi illud finem minimè habiturum ſit, cujus terminus ignoratur, ut obſervat Ariſt. in Problem.; undè etiam evenit, ut breviores in regreſſu appareant, quam in acceſſu viæ. Feciſſe id ad laboris levamentum canit Rutilius in Itiner.

Intervalla viæ feſſis præſtare videtur,
Qui notat inſcriptus millia multa lapis.

Hinc autem ortum habuit, ut pro numero Milliarorum Scriptores paſſim lapidum numerum uſurpent: undè Sueton. c. 4. in Calig. *Ad viceſimum lapidem effudere ſeſe*. Plinius lib. 36. c. 15. *ab octavi lapidis diverticulo*.

Fuiſſe autem *Milliaria Romana*, multò quàm nunc ſunt, breviora, illud videtur convincere, quod antiquitus ad Pontem Centeſimum, nunc *Ponte Centino*, Milliaria centum ab Ur-

Urbe erant, undè & Centesimus appellatus; nunc autem non sunt nisi quinquaginta quinque: verùm, ut notat Ricciolus, Romanus Pes modernus est aliquantò brevior antiquo, & consequenter Milliara quoque antiquis breviora: verùm Millaria illa longiora non sunt juxta Mensuram Romani passus moderni, sed juxta eas Mensuras quibus utuntur in Piceno, & Umbria, quæ majora sunt cæteris.

Nobis autem Lucensibus facilè admodum est, Milliarorum Romanorum veterum spatia capere: sicut etiam aliarum nationum antiquas Mensuras tenere comparatione Romanorum veterum, quippe eodem, quo Romani Antiqui utimur milliario. Cujusrei illud apertissimum est Argumentum, quod Oppida quædam sita in via Cassia, quæ Romam per Senas, Lucamque usque Mutinam ducebat, adhuc antiquum nomen retinent à Columnis Milliariis desumpta, secundum spatium, quo aberant à Colonia: sicuti Pons Auxeri impositus operis admirandi, qui nunc quoque dicitur *Ponte a Sesto*, quod nempe esset ad Sextum à Colonia Luca lapidem: &

Pa-

Pagus, qui appellatur *Valdottavo*, nempe quod situs ad octavum lapidem: Oppidumque quod vocant *Diecimo*, quod nempe ad lapidem decimum erat constructum: quorum locorum distantia eadem nunc censetur esse, quæ erat apud Antiquos: nam sex, octo, ac decem milliaria nunc quoque ab Urbe Luca, ut priùs, absunt ea oppida. Undè Milliare Lucensis Reipublicæ par est antiquo Romano, saltem quod attinet ad eam ditionis partem, in qua inter Auxerum, & præruptos montes aperitur via Cassia, ferro inter rupes, miro opere excisa: ac proinde illius spatii, quod nobis notum est, comparatione, Romani Milliarii antiqui, & aliorum ad illud relatorum magnitudinis, per facilè est speciem capere.

Milliare Græcum duplex fuit, Mediocre, & Magnum: utrumque tamen constit Orgiis, seu Passibus mille sui generis. Milliare commune fuit majus Romano Passibus ducentis; habuit enim Romanos Passus 1200., Pedibus verò mille; nam 600. Pedibus Romanis constitit. Milliare verò Magnum, sive Olympicum, & Herculeum superavit Romanum Passibus Romanis

nis 250.; Commune autem, seu Mediocre 50., atque utrumque habuit Stadia decem sui generis: quorum singula sexcentenis Pedibus sui pariter generis constabant, ut apertiùs in V. Stadium.

Milliare Alexandrinum, sive Ægyptium habuit Passus Romanos 1080., Pedes 5400.: ejusdem etiam Mensuræ fuit Samium, & Byzantinum.

Milliare Antiochenum, sive Syrum, habuit Pedes Romanos 6112., ac proinde majus fuit Milliari Romano Pedibus 212., Passibus verò 42 $\frac{2}{5}$.

Milliare Hebraicum duplex fuit, Majus, & Minus. Minus fuit cum Chibrath, de quo jam diximus. Majus, quod apellatur Parsach, fuit Stadiorum Hebraicorum 10., quorum singula habent Cubitos Hebraicos 400. Undè ipsum *Milliare* habebat Cubitos 4000., ac proinde quatuor Chibrath erat æquale. Continebat autem hoc Milliare majus Romanos Pedes 7875., Passus verò Geometricos 1575., ac propterea excedebat Milliare Romanum dimidia parte, ac Passibus 75. Videatur Ricciol. lib. 2. cap. 5. Geograph.

OR-

ORGYA, Græca Menſura, cujus meminit Ariſtotel. 6. de Animal., & Xenophon. lib. 2. Memor. Orgya autem fuit Paſſus Græcorum, qui ſex Pedibus conſtabat, ut disertè tradit Herodotus lib. 4., ubi ait. *Stadia tria millia, & ſexcenta efficiunt ſexaginta Schoenos: centum juſtæ Orgyæ implent Stadium ſex Plethrorum. Orgya taxata Pedibus ſex.* Fuit autem duplex, alia communis ſex pedum communium, æqualis ſex Romanis Pedibus: Alia Olympica, ſive Herculea, ſex Pedibus Herculeis conſtans, Romanis verò 6., Unciis 3.

Palmus Menſuræ notiſſimæ genus, tam apud Romanos, quàm Græcos, Hebræoſque à manu hominis dictæ. Fuit autem Palmus duplex Minor, Majorque.

Palmus Romanus Minor habuit quatuor Digitos in latitudine: nam, ut ait Pollux, *Palmus ſunt quatuor conjuncti arte Digiti*, quod etiam tradit Heſychius.

Palmus Romanus Major, quem Græci Spithamam, Itali dicimus *Spanna*, fuit ſpatium, quod comple-

cti-

ctitur manus extensa ab extremo Pollicis ad extremum Auricularis : fuitque novem Unciarum Pedis Romani, seu trium Quadrantium. Colligitur id apertè ex Vitruvio lib. 2. cap. 3. *Didorum fuisse longum Sesquipede :* Didorum autem erat mensura duorum Palmorum; nam ut ait Plinius lib. 35. cap. 14. *Græci Doron Palmum vocabant :* undè oportuit Palmum fuisse Semicubiti magnitudine, seu novem Unciarum, aut dodrantis Pedis.

Palmi item *Græcanici*, & *Hebraici* ejusdem rationis fuere proportione. Nam Palmus Minor Græcus mediocris habuit quatuor digitos staturæ mediocris : *Palmus* Major mediocris habuit novem partes Pedis staturæ mediocris: At *Palmus* Minor Herculeus constitit quatuor Digitis Herculeis : *Palmus* verò Major, seu *Spithama Herculea*, fuit extensio manus Herculeæ à pollicis extremo ad extremum auricularis, cum eadem proportione ad *Palmum*, & *Spithamam Romanam*, quam habent inter se Pedes cum Pedibus, & Cubiti cum Cubitis ; de quibus jam dictum.

PARASANGA, Menſura Perſica, cujus meminit ſæpè Xenophon in Pedia, & expeditione Cyri. Fuit autem incertum ſpatium *Paraſangæ*, ut ait Plinius lib. *6.* cap 26. : *Inconſtantiam*, inquit, *menſuræ diverſitas Autorum facit, cum Perſæ quoque Schoenos, & Paraſangas alii alia menſura determinent*. Nos Herodotum ſequemur, qui ſic ſcribit lib.2. de Egyptiis: *Etenim qui modicum terræ poſſident metiuntur illam* Orgiis *: qui minus inopes terræ ſunt, metiuntur Stadiis : qui multum poſſident, Paraſangis : qui plurimum ſanè, Schoenis : conſtant autem Paraſangæ tricenis, Schoeni ſexaginta Stadiis*. Ex quibus conſtat, cum Paraſanga habuerit Stadia 30., fuiſſe ſpatium trium Milliarium Romanorum, ac $\frac{6}{8}$.

PASSUS, Geometricum intelligo, quo menſurantur Milliaria, fuit apud Romanos ſpatium quinque Pedum Romanorum, ut omnes conſentiunt. Et apertè colligitur ex Columella lib. 5. cap.1., ubi ait: *Stadium deinde habet Paſſus centum vigintiquinque, ideſt* pe-

pedes sexcentos vigintiquinque; quod idem scribit Plinius lib. 2. cap. 27. si enim pedes 625. per *Passus* 125. distribuas, quinque cuilibet *Passuum* contingent. Fuit ergo hic *Passus* millesima pars Millarii. Cur autem *Passus* sit appellatus, quidam dicunt sic vocatum, quod id spatium *Passis*, idest protentis brachiis, manibusque conficeretur, ut tradit Alciatus in l. *Mille passus* ff. de sign. verb. Alii verò quod *Passu*, hoc est gressu hominis, duplicato constet. De Græcorum *Passu* jam dictum est in V. Orgya.

PES, de quo jam abundè dictum est.

POLLEX latitudo crassioris digiti: æqualis Unciæ Pedis Romani, ut dictum est.

PLETHRUM, Mensura Græca, *habens centum Pedes, & est sexta pars Stadii*, ut scribit Suidas: cum autem Pedes Græcorum alii Mediocres sint, alli Olympici, sive Herculei, uterque ha-

habebit 100. Pedes sui generis, eritque sexta pars Stadii sui etiam generis : ac proinde *Plethrum* mediocre æquale erit Pedibus Romanis 100. Herculeum verò 104. A *Plethro* fit Diplethron, hoc est duplex *Plethrum*: quod habet spatium duorum *Plethrorum*, sive Herculeorum, sive Communium.

SCHOENUS, quod funem ex junco significat, est Mensura Græca, varia tamen: nam ut ait Strabo lib. 11. *Nos cum Nilum navigaremus, aliis, atque aliis mensuris utebamur, ita ut eidem Schoenorum numerus alibi majorem, alibi minorem navigationem contineret* : quod etiam evenire hodie cernimus in Milliariis ob varietatem minoris, vel majoris Passus, quo constant. Duplicem *Schoenum* legimus, alium Minorem, quem Plinius lib. 7. cap. 10. ait *habuisse Stadia triginta* : ac proinde ejusdem spatii fuisse cum Parasanga; alium verò Majorem Stadiorum sexaginta, ut colligitur ex Herodoto lib. 2.; nam cum scribat *ab Heliopoli ad Thebas* intercedere spatium *quatuor millium octingentorum*, *&*

& sexaginta Stadiorum, *hoc est unius*, *& octoginta Schænorum*, oportet singulos *Schoenos* habuisse Stadia sexaginta; etenim in numero 4860. numerus sexagesimus reperitur vicibus octoginta, & una. Fuit ergo hic Major *Schoenus* æqualis duobus Parasangis, Milliariis verò Romanis $7\frac{1}{4}$.

STADIUM Mensurarum Græcarum celeberrima, sic dicta à verbo *Statio*, quia videlicet id spatium Hercules uno spiritu cucurrerit, ibique tandem steterit. Hoc igitur spatium terræ, quod primò *Stadium* est appellatum, fuit Pisis Græciæ Urbe apud Jovem Olympicum, quod scribit Gellius lib. 1. cap. 1. Herculem pedibus suis metatum, idque fuisse longum Pedes sexcentos: ad cujus imitationem *Stadia* in aliis Græciæ terris, ut idem scribit, instituta fuere, Pedum quidem numero sexcentum, sed tamen aliquantò breviora: Hoc igitur *Stadium* ab authore dictum Herculeum, & à loco Olympicum, fuit octava pars Romani Milliaris: undè Plinius lib. 2. cap. 25.: *Stadium cen-*

tum vigintiquinque nostros efficit Passus, hoc est Pedes 625. Cum autem Milliare constet Passibus 1000., Stadium consequenter est octava pars Milliaris, nam octies 125. efficiunt 1000. Sed in hac re non est opus argumentis, cum apertè tradat Isidor. lib. 15. Orig. cap. 16. *Singula Stadia centum vigintiquinque Passibus explicata*, quorum octo millenos Passus absolvunt: & Strabo lib. 7. *Computatis*, inquit, *per singula Milliaria octo Stadiis*. At verò Milliare Græcum constabat *Stadiis* decem, Pedibus verò Herculeis 6000.; Alexandrinum verò *Stadiis* 7. & med., ut scribit Plutharcus in Gracch. *Milliare autem paulò minùs est quam octo Stadia*: & Hero Mechanicus in Isagoge: *Milliare habet Stadia septem cum dimidio*; quod idem scribit Suidas V. Stadium, & Photius in Bibliotheca, quos omnes de Alexandrino Milliari loqui convincit Ricciol. lib. 2. Geogr. cap. 4.

Cum autem, ut dictum est, ex Gellio, alia quoque *Stadia* fuerint ad Herculei imitationem, aliquantò tamen breviora, illud pro comperto tenendum est, quoties in Scriptoribus *Stadii* nomen occurrit, de Magno illo,

&

& celeberrimo accipiendum esse; nisi peculiaris nota, vel Scriptoris contextus aliud suadeat.

Omnia ergo *Stadia* apud Græcos Sexcentum sui generis Pedibus constiterunt: Olympicum verò idem fuit cum octava Milliaris Romani parte, habuitque Pedes Romanos 625.; Passus verò Geometricos 125.

STATHMUS, Mensura Græca, idem quod apud Latinos Statio, Stativa, & Castra, quæ militare iter unius diei significant. Undè idem est apud Græcos duobus *Stathmis* aliquò pervenire, ac apud Latinos Scriptores duobus castris. Colligitur hæc significatio ex Herodoto lib. 5. *Ubique sunt Regii Stathmi, idest mansiones, ac diversiones, ac diversoria pulcherrima. Iter omne per loca culta, atque tutum: id nunquam intermissum per Lydiam, ac Phrygiam viginti Stathmorum, hoc est vicenorum castrorum est, Parasangæ nonaginta quatuor, & dimidiatus.* Ex quibus etiam *Stathmi* spatium innotescit; nam si 20. *Stathmi* continent Parasangas 94. & med. ergo singuli habent Parasangas quatuor,

& insuper Stadia 21. & med., & aliquid ampliùs. Undè iter unius *Stathmi* erat iter Romanorum Milliarium sexdecim $\frac{7}{8}$, & paulò ampliùs. Idem ferè militare iter apud Romanos: nam nisi urgeret accelerandi necessitas, non temerè ultra viginti milliaria progressum. Videatur Lipsius lib. 5. de Milit. Rom.

Quæ cum ad Ponderum, Mensurarumque qualemcumque cognitionem Juveni sufficere possint, calamo imponentes modum, nos quoque, tot spatiis excursis, in Stathmo consistimus.

FINIS.

ABA-




Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.

Fig. 5.






Fig. 4.

ABACUS

VETERUM NUMMORUM,

Illorumque valor comparatione Julii Moderni, & Aurei ex decem Juliis conflati, qui decem Quatrinis Lucensis minor est, ob ejus monetæ facilitatem.

Nummi Veteres, Eorumque valor.

Argenteus Julios 4.
As libralis decima pars Julii.
As Fabianus decimasexta pars Julii.
As Augustalis duodecima pars Julii.
Aureus Romano Julios 25.
Aureus Hebraicus Julios 48.

Bes Aereus trigesimæ partis Julii duas partes continet.
Bes ex mistura quincta pars Julii.
Bigatus Denarius Iulium unum continet.
Bigatus Quinarius dimidium Julii.
Bigatus Sextertius quarta pars Julii.

Centussis Antiquus Jul. 10.
Centussis Fabianus Jul. 6., *& ex quatuor*

tuor partibus Julii, tres.
Centussis Augustalis Jul. 8., *&. tertia pars.*
Cistophorus ferè dimidium Julii.

Daricus Jul. 20.
Decussis Antiquus Jul. 1.
Decussis Fabianus ex sexdecim partibus Julii decem habet.
Decussis Augustalis ex duodecim partibus Julii decem habet.
Denarius Jul. 1.
Deunx æreus ex duodecim partibus Bajocchi undecim habet.
Dextans æreus ex duodecim partibus Bajocchi decem habet.
Dipondius quincta pars Julii.
Dodrans æreus ex quatuor partibus Bajocchi tres.
Drachma Attica Argentea Jul. 1.
Drachma Attica Aurea Jul. 10.
Drachma Hebraica Argentea Jul. 2.
Drachma Hebraica Aurea Jul. 20.
Didrachma Atticum Argenteum Jul. 2.
Didrachma Atticum Aureum Jul. 20.
Didrachma Hebraicum Argenteum Jul. 4.

Mina Attica Argentea Aureis 10. *pendet.*
Mina Attica Aurea Aureis 100. *pendet.*
Mi-

Mina Hebraica Argentea Aureis 24. *pendet*.
Mina Hebraica Aurea Aureis pendet 240.
Minutum quinquagesima pars Julii.

Nummus Julii quarta pars.

Obolus Julii sexta pars.

Philippæus Jul. 20.

Quadrans paulò plùs quatrino Lucensi.
Quadrigatus Denarius Jul. 1.
Quadrigatus Sextertius quarta pars Julii.
Quadrussis Antiquus ex quinque partibus binis pendet.
Quadrussis Fabianus quarta pars Iulii.
Quadrussis Augustalis tertia pars Iulii.
Quinarius dimidium Iulii.

Semissis Argenteus dimidium Iulii.
Sextertius quarta pars Iulii.
Sextertium Aureos 25. *continet*.
Siclus Argenteus Iul. 4.
Siclus Aureus, *Aureos habet* 4., & *ex decem partibus Aurei octo*.
Stater Hebraicus Argenteus Iul. 4.
Stater Hebraicus Aureus Aureos habet 4.

Sta-

Stater Alexandræus, *Aureos* 2.
Stater Macedonicus idem.
Stater Philippæus idem.

Talentum Atticum Argenteum habet Aureos 600.
Talentum Atticum Aureum Aureos habet 6000.
Talentum Hebraicum Argenteum Aur. habet 1200.
Talentum Hebraicum Aureum Aur. hab. 12000.
Talentum Alexandrinum Argenteum Aur. hab. 1200.
Talentum Alexandrinum Aureum Aur. hab. 12000.
Talentum Ægineticum Argenteum Aur. hab. 1000.
Talentum Ægineticum Aureum Aur. hab. 10000.
Talentum Ægyptium Argenteum Aur. hab. 800.
Talentum Ægyptium Aureum Aur. hab. 8000.
Talentum Babilonicum Argenteum Aur. hab. 461., *& ex decem Aurei partes binas*.
Talentum Euboicum Argenteum Aur. hab. 400.
Talentum Euboicum Aureum Aur. hab. 4000.

Talentum Siculum, vetus Argenteum Aur. hab. 240.
Talentum Siculum novum Argenteum Aur. hab. 120.
Talentum Rhodium Argenteum, Aur. hab. 450.
Teruncius paulò plùs quatrino.
Tetradrachmus Atticus Argenteus Iul. 4.
Tetradrachmus Atticus Aureus Aur. hab. 4.
Tetradrachmus Hebraicus Argenteus Iul. 8.
Tetradrachmus Hebraicus Aureus Aur. hab. 8.
Treſſis Antiquus ex decem partibus Iulii tres habet.
Treſſis Fabianus ex ſexdecim partibus Iulii tres habet.
Treſſis Auguſtalis quarta pars Iulii.

Victoriatus Idem.
Vigeſſis Antiquus Iul. 2.
Vigeſſis Fabianus Iul. 1., *& Iulii quarta pars.*
Vigeſſis Auguſtalis Iul. 1. *cum dimidio.*

Synopsis Mensurarum Liquidorum, atque Aridorum Earumque capacitatis.

Accetabulum capit aquæ uncias 2. *cum dimidio*.
Amphora Romana aquæ libras 80.
Amphora Græca aquæ libras 120.
Artaba Persica aquæ libras 166., *&* *ex duabus partibus libræ tres partes*.
Artaba Ægyptia aquæ libras 133., *&* *ex duabus partibus libræ tres partes*.
Artaba Medica aquæ lib. 160.

Batus I. aquæ capit lib. 80.
Batus II. aquæ lib. 8., *& lib. tert. part.*
Batus III. aquæ lib. 5., *& uncias* 6.
Batus IV. aquæ lib. 2., *& unc.* 1.
Batus V. aquæ unc. 6., *& unciæ duas tertias partes*.

Cabus aquæ lib. 4. *unc.* 5., *& unciæ tertiam partem*.
Cadus aquæ lib. 80.
Choenix aquæ lib. 10.
Corus aquæ lib. 800.
Cotyla aquæ unc. 10.
Culeus aquæ lib. 1600.

Cya-

Cyathus aquæ unc. 1., *& ex ſex partibus unciæ partes quatuor.*

Ephi aquæ lib. 80.

Gomor aquæ lib. 8.

Hemina aquæ unc. 10.
Hin aquæ lib. 10. *uncias* 3., *& unciæ tertia pars.*

Lethec aquæ lib. 400.
Log aquæ lib. 1. *unc.* 3.

Medimnus aquæ lib. 160.
Metreta aquæ lib. 120.
Modius aquæ lib. 26., *& duas tertias partes libræ.*

Quadrantal aquæ lib. 80.
Quartarius aquæ unc. 5.

Satum aquæ lib. 26., *& duas tertias partes libræ.*
Sextarius aquæ lib. 1. *uncias* 10.

Urna aquæ lib. 40.

Sy-

Synopsis Mensurarum Longitudinis.

Actus Pedes Rom. quaquaversum 120.
Arura continet Ped. Rom. quadratos 166., *& ejusdem duas tertias partes.*
Ascena Pedes 20.

Calamus Hebraicus Ped. Rom. 12. *unc.* 9., *& ex* 100. *partibus unciæ partes* 56.
Chibrath Ped. Rom. 1968. *cum ejusdem Pedis dimidio.*
Cubitus Rom. Ped. Rom. 1. *cum dimidio.*
Cubitus Græcus mediocris Ped. Rom. 1. *cum dimidio.*
Cubitus Hebraicus Ped. Rom. 1. *uncias* 11., *& ex* 100. *partibus unciæ partes* 62. *cum dimidio.*
Cubitus Herculeus Ped. Rom. 1. *unc.* 6., *& ejusdem quartam partem.*
Cubitus Alexandrinus Ped. Rom. 1. *unc.* 9., *& ex* 100. *partibus unciæ partes* 60.
Cubitus Samius idem.
Cubitus Byzantinus idem.
Cubitus Babilonicus Ped. Rom. 20. *unc.* 8., *& ejusdem* 4. *partem.*
Cubitus Antiochenus Ped. Rom. 2., *& unciæ partes* 48.

De-

Decempeda Ped. Rom. 10.
Diaulon Ped. Rom. 1250.
Digitus Rom. Pedis Romani par sextadecima.
*Diplethrum Mediocre Ped. Rom.*200.
Diplethrum Herculeum Ped. Rom. 208.
Dolichus Ped. Rom. 7500.

Hippicon Ped. Rom. 2500.

Jugerum Ped. Rom. in ambitu 720., *quadratos verò* 28800.

Lychas Pedis Rom. Unc. 8.

Milliare Rom. Ped. Rom. 5000.
Milliare Græcum mediocre Ped. Rom. 6000.
Milliare Herculeum Ped. Rom. 6250.
*Milliare Alexandrinum Ped. Rom.*5400.
Milliare Samium idem.
Milliare Byzantinum idem.
Milliare Antiochenum Ped. Rom. 5212.
Milliare Hebraicum parvum Ped. Rom. 1968. *cum dimidio.*
Milliare Hebraicum magnum Ped. Rom. 7875.

Orgya mediocris Ped. Rom. 6.
Orgya Herculea Ped. Rom. 6., & *ejusdem* 4. *pars.*

Palmus Romanus minor Pedis Rom. 4. *pars.*

Palmus Rom. major Ped. Rom. 3. *tres quatuor partes.*

Palmus Græcus mediocris, Ped. Rom. quarta pars.

Palmus Herculeus, Ped. Rom. Unc. 3., *& ex* 100. *part. Unciæ pars* 12. *cum dimidio.*

*Palmus Hebraicus minor, Ped. Rom. unc.*3., *& ex* 100. *part. Unciæ pars* 93.

*Palmus Hebraicus major, Ped. Rom. Unc.*11., *& ex* 100. *part. Unciæ pars* 81. *cum dimidio.*

Passus Geometricus Ped. Rom. 5.

Parasanga, Ped. Rom. 18740.

Pes Romanus, Unc. 12.

Pes Græcus mediocris, Ped. Rom. 1.

Pes Herculeus, Ped. Rom. 1. *cum Unciæ dimidio.*

Pes Hebraicus, Ped. Rom. 1. *Unc.* 3., *& ex* 100. *par. Unciæ pars* 75.

*Pes Alexandrinus Samius, & Bizantinus Ped. Rom.*1. *Unc.*2., *& ex* 100. *part. unciæ pars* 40.

Pes Babylonicus, Ped. Rom. 1. *Unc.* 1. *cum dimidio.*

Pes Antiochenus, Ped. Rom. 1. *Unc.* 4., *& ex* 100. *part. unciæ pars* 32.

Plethrum mediocre, Ped. Rom. 100.

Ple-

Plethrum Herculeum, *Ped. Rom.* 104.
Pollex, *Pedis Romani Unc.* 1.

Schoenus, *Ped. Rom.* 18740.
Schoenus major, *Ped. Rom.* 37480.
Stadium Græcum Mediocre, *Ped. Rom.* 600.
Stadium Herculeum, *Ped. Rom.* 625.
Stathmus Ped. Rom. 88085.

SYLLABUS AUTHORUM,

Qui nobis huic Syntagmati contexendo utiles fuerunt.

QUoniam, ut magnus Sapiens ajebat, Plin. in Præfat. Natural. Hiſtor. *eſt benignum, & plenum ingenui pudoris fateri, per quos profeceris;* placuit eos, quorum opera huic Syntagmati contexendo nobis utilis fuit, honoris cauſa hìc in operis calce deſcribere.

Sacra Biblia.
Alexander ab Alexandro.
Aloyſius Lippomanus.
Andreas Alciatus.
Appianus Alexandrinus.
Ariſtoteles.
Aulus Gellius.
Benedictus Arias Montanus.
Benedictus Pererius.
Bonfrerius.
Cælius Rhodiginus.
Chriſtophorus Clavius.
Cicero.
Cleopatra.
Codex Juſtiniani.

Columella.
Cornelius à Lapide.
Cornelius Tacitus.
Didacus Covarruvias.
Dio Cassius.
Diodorus Siculus.
Dionysius Halicarnasseus.
Dionysius Lambinus.
Donatus.
Eustathius.
Fannius.
Faunus.
Franciscus Ribera.
Galenus.
Gulielmus Budæus.
Hero Mechanicus.
Herodotus.
Hesychius.
S. Hieronymus.
Homerus.
Horatius.
Jacobus Gutherius.
Instituta.
Joannes Buteo.
Joannes Card. de Lugo.
Joannes Lorinus.
Joannes Mariana.
Joannes Pineda.
Joannes Baptista Ricciolius.
Joannes Baptista Villalpandus.

Josephus Blancanus.
Josephus Judæus.
Isidorus.
Julius Africanus.
Julius Frontinus.
Julius Pollux.
Justus Lipsius.
Juvenalis.
Lucanus.
Lucas Pætus.
Lucilius.
Ludovicus Cerda.
Ludovicus Molina.
Luisius ab Alcasar.
Macrobius.
Marcus Cato.
Marcus Varro.
Marinus Ghetaldus.
Martialis.
Nicolaus Damascenus.
Nonius Marcellus.
Oecumenius.
Olaus Magnus.
Origenes.
Ovidius.
Paulus Manutius.
Persius.
Petronius Arbiter.
Philo Judæus.
Photius.

Plato.
Plautus.
Plinius Junior.
Plinius Senior.
Plutarchus.
Polybius.
Pompejus Feſtus.
Quintilianus.
Rabbi David.
Robertus Cenalis.
Rutilius.
Sabellicus.
Salianus.
Seneca.
Septuaginta Interpretes.
Serarius.
Stanislaus.
Stobæus.
Strabo.
Suetonius Tranquillus.
Suidas.
Terentius.
Tucidides.
Titus Livius.
Valerius Maximus.
Virgilius.
Vitruvius.
Xantes Pagninus.
Xenophon.
Zonaras.

FINIS.

BREVIS
DE ROMANORUM
COMITIIS
TRACTATUS,

E' NONNULLIS

BARTHOLOMÆI BEVERINI

Congregationis Matris Dei,

Primò adumbratis Elucubrationibus, in gratiam studiosæ Juventutis excerptus.

Opus Posthumum.



LUCÆ, MDCCXI.

Typis Peregrini Frediani.

SUPERIORUM LICENTIA.

TRACTATUS DE VETERUM ROMANORUM COMITIIS.

COMITIA in primis indè nomen traxere, quòd Populus in eis comire, hoc est convenire solebat in unum locum: quod quamvis & ludorum, & spectaculorum gratia interdum fieret, tamen Comitiorum nomine ii tantum Populi conventus appellati, in quibus de aliqua re ferendum esset suffragium. Quare possumus rectè definire Comitia, Populi conventus ad suffragium de aliqua re ferendum: quod est adeò Romanæ antiquitatis studiosis notum, ut supervacui proculdubio futurum sit operis in re tam clara paginas testimoniis onerare.

Quod autem attinet ad numerum, ea consensu omnium tria fuere, nempe *Curiata*, *Centuriata*, & *Tributa:* ut videre est apud Agellium lib. 15. cap.

cap.27.; nec quicquam frequentius his nominibus occurrit in Romanorum rerum Scriptoribus. Ex quibus, ut aliqua saltem curiosæ Juventuti delibem, hæc adnotabo.

De Centuriatis mentionem facit Livius lib.1. in fine: *Duo Consules inde Comitiis Centuriatis à Præfecto Urbis ex commentariis Ser. Tulli creati sunt*: & lib.2. *Collegam sibi Comitiis Centuriatis creavit P. Valerium*.

Tributorum Comitiorum meminit idem Livius lib.2. *Tunc primùm*, inquit (anno nempe Urbis 281.) *Comitiis Tributis creati Tribuni sunt*. Et Cicero lib.3. de legibus: *Propterea neque Tributa capitis Comitia rata esse possent*.

De Curiatis scribit Livius lib.5. *Comitiis Curiatis revocatus de exilio jussu Populi Camillus extemplo dictator diceretur*. Cicero autem tria hæc Comitiorum genera complectitur orat.2. de lege Agrar.: *Nunc*, inquit, *quia prima illa Comitia tenetis Centuriata, & Tributa, Curiata auspiciorum causa remanserunt*. Nec aliud intelligit Arnobius lib.2. adver. Gentes cum ait: *Nunquid Magistratus per Populos creatis? Militaria, Urbana, Communia quæ sunt*

sunt Comitia scitis. Nam, ut docet Turnebus lib. 13. cap. 14. Adver. per Comitia Militaria intelligit Centuriata; eò quòd militari more Populus in Centurias esset descriptus, & quia quo primum tempore celebrata sunt, Populus cum armis in campum descendit, armatusque suffragium tulit: per Urbana significat Curiata, eò quòd Curiæ erant tantùm Urbani Populi: per communia verò intelligit Tributa, eò quòd ex totius Populi Tribubus fiebant; erantque non propria tantum Urbani Populi, sed etiam Rustici, & Suburbani: cum omnes ubique Romani Cives ad aliquam ex XXXX Tribus pertinerent: undè jus erat quandocumque Tributa Comitia congregarentur, unumquemque in sua Tribu adesse.

Addunt nonnulli etiam Comitia Calata, quorum fit mentio apud Agellium loc. cit. ex Labeone, qui ait: *Comitia Calata esse, quæ pro Collegio Pontificum habentur, aut Regis sacrorum, aut Flaminum inaugurandorum causa*. Verùm ea Comitia non efficiunt aliquod peculiare genus: nam ab initio omnia Comitia dicebantur Calata, ut ex Lelio Felice constat apud

apud Agellium loc. cit. Dicebantur autem Calata à Græco vocabulo *Kal*, quod est *voco*, quia videlicet per Præconem vocarentur, quod antiqui Latini *Kalare* dicebant: undè & *Kalendæ* primus mensium dies appellatus, quod ab eo mensis vocari, seu numerari incipiat. Quanquam autem *Kalandi* vox obsolevisset, tamen usus obtinuit, ut ea Comitia Calata appellarentur, quæ coram Pontificum Collegio, ut dictum est, agebantur inaugurationis causa: vel quæ condendis Testamentis fiebant, ut ex eodem Felice apud Agellium constat. Nam, ut scribit Theophilus lib. 2. Instit. tempore pacis bis in anno Præco Urbem circuibat, Populumque convocabat: & eo tempore qui testamentum condere volebat, in concione ipso Populo teste scribebat testamentum: itaque testamenta sic condita nullam fraudem timere poterant, utpote fide publica firmata.

Inveniuntur etiam Comitia Consularia, quæ scilicet Consulibus creandis habebantur: undè Cicero in Orat. pro Murena: *Imperatores*, inquit, *Comitiis Consularibus, non verborum Interpretes diliguntur*: & lib. 2. ad Q.

Fr.

Fr. epist. 2. : *Recordatus est, quid sibi in Campo Martio Comitia Consulum habenti contra auspicia accidisset*.

Alia reperiuntur dicta Prætoria, quod in iis Prætores crearentur, quemadmodum etiam ob eandem rationem Quæstoria, Editilia, Censoria, & Tribunita. Verùm hæc omnia ad aliquid ex tribus jam dictis generibus pertinebant, nempe ad Curiata, Centuriata, & Tributa.

Curiata igitur Comitia erant Conventus Populi Romani per Curias convocati : sive in quibus Populus Curiatim suffragium ferebat, hoc est, in quibus Populi per Curias divisi sententia rogabantur, ita ut illud ratum haberetur, quod plures Curiæ statuissent.

Erant autem Curiæ, ut alias significationes omittamus, triginta illæ partes in quas Romulus Urbem diviserat, ut scribit Dionysius Halicar. lib. 1. sic dictæ ex Varrone, quod Reipublicæ negocia curarent : sive, ut Festo placet : *quod iis imposita nomina Curium Virginum*, hoc est Sabinarum. Cures enim Sabini dicebantur : undè Virgil. in 8.

Tatioque seni, Curibusque severis.

Ro-

Romulus enim primò in tres partes Urbem divisit, quas Tribus appellavit (quemadmodum Urbs nostra Luca, jam propè à trecentis annis in tres partes distributa est, quas appellamus *Terzieri*, cum antea quinque partibus constaret pro numero videlicet Portarum Urbis, quæ per ea tempora quinque numerabantur, nempe S. Petri, S. Donati, S. Mariæ, S. Gervasii, & S. Salvatoris,) ut scribit Asconius in Comment. Divinationis: *Principio Tribus tres fuerunt, Tatientium à Tatio Rege; Ramnensis altera à Romulo; Luceres altera à Lucomone, sive Lucero, sive à Luco, quem Asylum vocaverat Romulus*. Has verò Tribus deinde singulas in decem alias partes divisit: undè Dyonisius lib. 2. *In tres partes*, inquit, *divisa universa multitudine, Romulus singulis præclarum aliquem Virum ducem præposuit: deinde unamquemque rursum in decem partitus totidem fortissimos viros eis præfecit. Has Curias, illas Tribus vocari voluit, sicut vocantur & hodie*, Augusti nempe temporibus: iis enim scripsit Dyonisius. Livius quoque lib. 1. idem tradit, additque causam appellationis earum. *Romulus cum Populum in Curias*

rias XXX. divideret nomina Sabinarum, Curiis imposuit. Non autem Tribubus nomina Mulierum Sabinarum imposita, ut perperam contendit Asconius loc.cit. Curias cum Tribubus confundens. Idem Romuli institutum traditur à Plutarcho: *Singulæ*, inquit, *Tribus decem continuerunt Curias.* Qui tamen negat, Curiarum nomina à Sabinis Fœminis derivata, *cum*, inquit, *earum quædam à locis appellentur.* Quidquid autem illud sit de nominum origine, illud certum est, Populum in triginta Curias à Romulo constitutum, quarum octo tantum nomina ad nostram memoriam pervenere, nempe *Foriensis*, *Rapta*, *Vellensis*, *Velitia*, *Titia*, *Tifata*, quarum meminit Festus; *Calabra*, quam memorat Varro lib. 4. de Lingua Lat., & *Faucia* sive *Saucia*, de qua sic Livius lib. 9. *Dictator Papirius C. Junium Bubulum, Magistrum Equitum dixit, atque ei legem Curiatam de Imperio ferenti, triste omen diem diffidit, quod Fauciæ, sive Sauciæ, Curiæ fuit principium, duabus insignibus cladibus captæ Urbis, & Caudinæ pacis, quod utroque anno ejusdem Curiæ fuerat principium.*

Cum ergo Romulus Regia sibi

poteſtate reſervata, quandam velut Libertatis imaginem in urbis regimine inſtituere vellet, Populo permiſit, ut ſcribit Dionyſius lib. 2., *Magiſtratus creare, leges ſancire, de bello, referente Rege, decernere*. Cum igitur aliquid horum faciendum eſſet, Populus in forum conveniebat, in ſuas Curias diſtributus, rogabanturque ſingularum Curiarum ſententiæ; idque demum ſtatuebatur, quod pluribus Curiis viſum eſſet: eaque Comitia Curiata dicebantur, & negotia, in iis conſtituta, lege Curiata ſancita appellabantur. Sic Romulo extincto, *Numam Curiatis Comitiis Regem creatum*, ſcribit Dionyſius lib. 2. Quemadmodum etiam alii Reges, Tarquinio ſuperbo excepto, qui per vim Regiam dignitatem occupavit. Verùm non ſolùm Magiſtratus creatos, leges ſancitas, & bella decreta per Populi ſuffragium Regibus imperantibus, ſed etiam judicia exercita Comitiis Curiatis reperio: nam Horatius cum provocaſſet ad Populum, Tullo Hoſtilio regnante, *Populi Romani Comitiis liberatus eſt*, ut ſcribit Cicero pro Milone. Atqui eo tempore nulla alia Comitia niſi Curiata, quippe Centuriata deinde à Ser. Tullio

lio Rege instituta; & Tributa quo tempore Respublica jam Libertate fruebatur lege Voleronis incœpta, ut deinde videbimus. Quanquam nullum aliud, præter hoc Horatianum, à Populo Judicium Comitiis latum reperiemus; ut etiam notavit Sigonius lib. 3. de Judiciis cap. 4.

Cum autem Respublica, jam excusso Regum jugo, sese in libertatem vindicasset, Plebsque Nobilium insolentia evicisset, ut Tribuni, & Ædiles plebeji crearentur, ii Comitiis Curiatis creati usque ad legem Voleronis, qui una cum Lætorio tulit, ut deinceps plebejis Magistratus Tributis Comitiis crearentur. Cum autem ferè universa Reipublicæ administratio ad Comitia Centuriata devoluta esset, pauca tantum Comitiis Curiatis agenda remanserunt. Hæc autem fuere: primò Confirmatio quorundam Magistratuum, qui jam Comitiis Centuriatis designati erant, nempe Consulum, Prætorum, & Ædilium Patriciorum. Qui enim Comitiis Centuriatis hunc Magistratum obtinuissent, confirmari debebant auspicii causa à Comitiis Curiatis, quod disertè traditur à Cicerone in Orat. 2. de lege Agrar. *Ma-*

jores, inquit, *de omnibus Magistratibus bis vos judicare voluerunt, nam Centuriata lex Censoribus ferebatur* (hoc est soli Censores ex Patriciis Magistratibus postquam Centuriatis Comitiis designati fuerant, Curiatis Comitiis confirmari non indigebant: qua de re videndus Manutius in Commentariis ad eum locum) *cum Curiata cæteris Patriciis Magistratibus, tum iterum judicabatur, si Populum beneficii sui non pœniteret*. Quod tamen, quia nimium grave videbatur, bis nempe mobile vulgi judicium subire, paulatim obsolevit. Dixi auspicii causa: quod ipsum à Cicerone ibidem traditur; *Curiata*, inquit, *auspiciorum causa remanserunt*; quia videlicet nihil auspiciatò geri poterat, nisi ab eo, qui lege Curiata potestatem haberet.

Secundò, Armorum Imperium Curiatis Comitiis mandabatur. Undè Cicer. in eadem tract.2. de lege Agr.: *Consuli, si legem Curiatam non habeat, attingere rem militarem non licet*, & Livius lib. 5. *Ardeam Legati ad Camillum Vejos eum perduxere: seu, quod magis credere libet, non priùs profectum ab Ardea, quàm compererit legem latam;*

tam ; quod nec injuſſu Populi mutari finibus poſſet ; nec niſi Dictator dictus auſpicia in exercitu habere, lex Curiata lata eſt, Dictatorque abſens dictus, & lib. 5. ipse Camillus ſic loquitur: *Comitia Curiata, quæ rem militarem continent : Comitia Centuriata, quibus Conſules, Tribunoſque militares creatis.*

Tertiò, Adoptiones fiebant Comitiis Curiatis, ut teſtatur Agellius lib. 5. cap. 19., quod idem tradit Cicero Orat. pro domo ſua, ubi de adoptione loquens, qua Clodius à Patricia Familia Claudia in Fontejam è plebe tranſierat, ut Tribunus Plebis fieri poſſet, ſic ait : *quæro, ſi aut negaſſes, aut tacuiſſes, ſi tamen id XXX. Curiæ juſſiſſent, nam id juſſum eſſet ratum ?* & Galba apud Tacitum lib. 1. Hiſtoriarum ſic Piſonem alloquitur : *Si te privatus lege Curiata adoptarem :* hoc eſt Comitiis Curiatis ; ſæpè enim pro eis lex Curiata ponitur, ut obſervat etiam Manutius ad 2. Orat. de lege Agraria.

Quartò, condendis Teſtamentis habebantur Comitia Curiata, ut jam dictum eſt.

Quintò, Comitiis Curiatis quidam

Sacerdotes creabantur, ut Flamines; & Curio Maximus, cujus autoritate tum Curiones cæteri, tum Curiæ omnes regebantur, ut scribit Festus: nam singulis Curiis Sacerdos unus præerat sacrificiis agendis, quem Curionem à *Curiis* nempe, ut scribit Varro lib. 4. de Ling. Lat. vocabant: isque est, quem Plaut. in Aulul. appellat Magistrum Curiæ.

Nam noster nostræ, qui est Magister Curiæ
Dividere argentum dixit Nummos in Viros.

Et Festus, ait *Flamines Curiales fuisse Curiarum Sacerdotes*. Quem Curionem singulæ Curiæ sibi seorsim eligebant, ut notat Rosinus lib. 3. cap. 13. His verò Curionibus singularum Curiarum præerat Sacerdos, qui Curio Maximus dicebatur; & hunc omnes Curiæ Comitiis creabant, ut scribit Livius decad. 3. lib. 7. *Inter majorum rerum curas, Comitia Maximi Curionis, cum in locum M. Æmilii Sacerdos crearetur, vetus excitaverunt certamen*. In quibus imaginem quandam nostrarum Paroeciarum mihi videor intueri. Id enim in vetere Roma Curiæ, quod nunc in Christianis Urbibus Paroeciæ: id

id Curiones, quod Parochi, qui & non dissimili nomine Curati appellantur. Locum verò Maximi Curionis, qui cæteris præsideat, & regat potestate, non injuria dixerim Episcopos tenere.

Illud autem ab Antiquitatis studiosis observandum est, Comitia Curiata non semper triginta Curiatum interventu celebrata fuisse; sed processu temporis ita obsolevisse, ut ferè in speciem tantum remanerent. Etenim per triginta Lictores è singulis Curiis lectos ea demum habita fuisse auctor est Cicero Orat. 2. in Rullum: *Sunt igitur Decemviri, neque veris Comitiis, hoc est, Populi suffragiis, neque illis ad speciem, atque ad usurpationem vetustatis per triginta Lictores auspiciorum causa adumbratis, constituti.* Quibus verbis Curiata Comitia designari perspicuum est, vel ex eo quod ait auspiciorum causa usurpari. Quod etiam observavit Manutius lib. de leg. Rom.

Ut autem hanc de Comitiis Curiatis tractationem absolvamus, tria supersunt explicanda; nam quartum, nempe modum ferendi suffragia, explicabimus in Comitiis Centuriatis.

Tria verò hæc ſunt, nempe penes quos eſſet jus convocandi Comitia Curiata: qui haberent in eis jus ſuffragii: ac demum quo loco fierent.

Quod ſpectat ad primum, ajo tempore quo ſub Regibus erat Res Romana, jus vocandi Populum penes Reges fuiſſe. Regibus autem defunctis id pertinuiſſe ad Iterreges. (Erat autem Interrex quaſi interim Rex, dum ſcilicet Rex crearetur, utebaturque Regiis inſignibus: quod etiam in libera Republica obſervatum, quoties vel Magiſtratus abeſſent, vel vitio facti abdicaſſent. Hæc autem dignitas, Interregis ſcilicet, non dabatur niſi in quinctum diem.) Deinde in libera Republica jus convocandi hujuſmodi Comitia extitit penes Conſules, Prætores, Dictatores, atque etiam Pontifices, & Interreges, quandocumque res ad Interregnum adducta eſſet. Qua de re videatur Roſin. lib. 6. cap. 4. Antiq. Rom., & Nicol. Gruchius lib. de Comitiis Romanis.

Jus verò ferendi ſuffragium in Comitiis Curiatis habebant ii tantum Cives, qui in Urbe habitabant. Ii namque Cives tantum in Curiis adſcripti erant, qui domicilium in Urbe ha-

habebant, secus verò qui extra illam. Hinc ab Arnobio, ut ex Turnebo jam adnotavimus, Comitia Curiata dicta fuerunt *Comitia Urbana*; quod nempe iis Urbani tantum Cives interessent.

Locus autem in, quo habebantur hujusmodi Comitia, fuit Forum Romanum, cujus pars quædam, quod in ea Populus conveniret, Comitium appellata. Unde Varro lib. 4. de Ling. Lat. ait *Comitium dictum*, *quod Comitiis Curiatis Populus conveniret*. Meminit ejus loci Tullius pro Sextio: *Cum*, inquit, *Forum*, *Comitium*, *Curiam multa de nocte occupavissent*, & in Verrinis: *Vidi simul cum Populo Romano Forum*, *Comitiumque adornatum*: & Livius decad. 3. lib. 4. *Perfugæ virgis in Comitio cæsi omnes*, *ac saxo dejecti*: Fuisse autem Comitium circa eum locum Fori, ubi nunc est Templum S. Mariæ Novæ, scribit Marlianus lib. 3. cap. 15. & 20. Topograph. Urbis Romæ. Qui locus per multos annos intectus: undè contigit sæpè Comitia per tempestates, aut convocari non potuisse, aut convocata dimitti opus fuisse. Verùm post adventum Annibalis in Italiam tectum

Co-

Comitio impositum : quod tradit Livius decad. 3. lib. 7. *Eo anno primùm, ex quo Annibal in Italiam venisset, Comitium tectum esse memoriæ proditum est*. Solebat autem hic locus ab Ædilibus magnificè ornari, certantibus singulis annis, illis qui Ædilitatem gerebant, ut suo anno quàm magnificentissimè Forum, Comitiumque oculis Populi Romani ornatum appareret. Sic de Cæsare apud Sueton. legimus: *Ædilis præter Comitium, ac Forum, Basilicasque, etiam Capitolium ornavit porticibus ad tempus extructis*. Præcipuè tamen statuæ, ac tabulæ pictæ, ex totis Provinciis advectæ ad eum tantum usum, ac deinde remittendæ Dominis, in Comitio spectabantur: undè Cicero in Verrin. de Verris Ædilitate: *Vidi Forum, Comitiumque adornatum ad speciem magnifico ornatu*, & Act. 4. in eundem: *C. Claudius, cujus Ædilitatem magnificentissimam scimus, usus est hoc Cupidine tamdiu, dum Forum Diis immortalibus, Populoque Romano habuit ornatum, & cum esset Hospes Aejorum, Mamertini autem Populi Patronus, ut illis benignè usus est ad commodandum, sic ipse diligens fuit ad reportandum*. Subditque

que de aliis Nobilibus, qui per similem occasionem Forum, Comitiumque ornarent: *Qui tamen signa, atque ornamenta sua cuique reddebant, non ablata ex Urbibus Sociorum quatridui causa per simulationem Ædilitatis, domum deinde, atque ad suas Villas auferebant.*

Venio nunc ad Comitia Centuriata, de quibus loquitur Cicero pro lege Manilia, dum ait se *Prætorem cunctis Centuriis renunciatum*. Eo enim tempore jus creandi Magistratus, haud amplius ad Curiata, sed ad Comitia Centuriata spectabat. Quod autem attinet ad nomen, Centuriata, à Centuriis hæc Comitia dicebantur: quod nempe Populus per Centurias descriptus more militari, ea celebrabat: undè etiam ab Arnobio, ut antè retulimus, *militaria Comitia* dicta, ut nos Turnebus admonuit.

Autor describendi Populum per Centurias, perque eas Comitia celebrandi, fuit Servius Tullius, qui sexto loco apud Romanos regnavit: sic rem gestam narrat Livius lib. I. Histor. *Censum instituit, rem saluberrimam tanto futuro imperio, ex quo belli, pacis-*

cisque munia, *non viritim, ut antè*, *sed pro habitu pecuniarum fierent*. *Tum Classes*, *Centuriaque*, *& hunc ordinem ex censu descripsit*, *vel paci decorum*, *vel bello*: & Victor Aurelius de Ser Tullio loquens, *mensuras*, inquit, *pondera classes, Centuriasque constituit*.

Quid autem eæ Centuriæ fuerint, describunt accuratè Livius lib. 1., & Dionysius Halicarnasseus lib. 4. in hunc modum: *Servius jussit censeri bona omnium Civium cum jurejurando bonæ fidei*, *adscriptis ætatis annis*, *& parentum nominibus*, *atque adeò liberorum omnium*, *atque conjugum*. *Ad hæc quam quisque regionem Urbis*, *quemque pagum incoleret*. *Ei*, *qui non censeretur pœna proposita*, *ut bonis in fiscum redactis*, *cæsus virgis sub hasta veniret*: *diuque lex ea à Romanis servata est*. *Peracto censu*, *cum ex scripto*, *& ipsorum numerum*, *& opes eorum cognovisset*, *commentus est institutum longè prudentissimum*, *& Reipublicæ saluberrimum*, *ut res docuit*. *Id autem fuit tale*. *Unam selectam ex omni numero partem*, *cujus maximus census erat*, *nec minor censum minis* (quid autem sit Mina in Tractatu de Ponderibus diximus V. Mina) *in octoginta centurias digestam arma*

arma habere imperavit clypeum Argolicum, loricam ex ære, galeam, ocreas, tela, hastam, & gladium. Ex his quadraginta Centurias fecit juniorum, qui foris bella gererent; totidem vero seniorum, qui manerent ad urbis custodiam. Hæc prima classis fuit intra decem millia drachmarum usque ad Minas quinque, & seqtuaginta (nec variat Livius : ait enim, *secunda classis intra centum usque ad quinque, & septuaginta milliam censum instituta*) *ex his*, sequitur Dionysius, *conscriptæ viginti Centuriæ : arma gestare jussit eadem, nisi quod loricæ ademptæ, & scuta data pro clypeis*. Hoc autem intererat inter scutum, & clypeum, quod clypei rotunda forma, undè Homerus dixit *Clypeos rotundos*. Contra verò scuta longa fuerunt, & totum corpus protegebant. Undè Virgilius

Scutis protecti corpora longis.

Videatur Lypsius lib. 2. de Militia Rom. dialog. 2. *Hìc quoque*, sequitur Dionysius, *nati super quadragesimum quinctum annum à militari ætate divisi. Centuriæ decem juniorum, qui ad bella emitterentur; totidem seniorum ad servanda mœnia. Huic Classi secundus locus dabatur in acie. Tertiæ Censsus*,

ſus, ut ad ſepties mille, & quingentas drachmas non perveniebat, ita quinquaginta Minas excedebat. Erat ergo cenſus tertiæ claſſis minor ſeptingentis quinquaginta aureis: major quingentis. Livius autem ſcribit *tertiæ claſſis fuiſſe cenſum millium quinquaginta*, hoc eſt quingentorum aureorum. *His*, nempe iis qui in tertia claſſe cenſebantur, *non ſolum loricæ ademptæ, ſicut proximis, ſed & ocreæ eundem numerum centuriarum explentibus, diviſarum æquè in denas ætatis diſcrimine. Locum in acie tuebantur per ſecundam claßem proximum. Ex reliquis rurſum cum detraxißet, qui minus quinque millibus drachmarum in bonis poſſiderat uſque ad viginti minas* (nempe quartæ claſſi cenſus fuit minor aureis quingentis uſque ad ducentos. Livius ſcribit in quarta parte locatos, quibus erat cenſus *quinque, & viginti millium*, nempe ducentorum quinquaginta aureorum) *quartam claſſem fecit æquè viginti conſtantem Centuriis. Arma his imperata, ſcuta, haſtæ, & gladii. Locus aſſignatus in poſtrema acie. In quintam claſſem rejecti ſunt, quorum facultates cenſerentur inter viginti quinque minas, & duodecim cum dimidia* (nempe

ii

ii in quintam classem rejecti, quorum bona non excedebant summam à ducentis quinquaginta ad centum vigintiquinque aureos. Livius scribit censum quintæ centuriæ fuisse, *undecim millium*, nempe centum decem aureorum.) quintæ ergò classis, *Triginta erant Centuriæ pro ætatis ratione divisæ pariter. Quindecim seniorum, juvenum totidem. His imperatum, ut cum fundis, & jaculis extra ordinem militarent. Jussæ etiam armatos sequi quatuor inermes Centuriæ, duæ ad armorum, & machinarum fabricam: totidem tubicinum, cornicinum, quique aliis instrumentis signa canerent. Opifices in secunda classe censebantur, adscripta senioribus una ejusdem ætatis centuria; altera juniorum stipendia faciebat cum Juvenibus. Tubicines, & cornicines quartæ classis pars erant, pari ætatis discrimine. Centuriones deinde præfecti, ut quisque erat virtutis spectatissimæ, qui centurias imperatis faciendis assuefacerent. Hi ordines fuere tam Legionariorum, quam levis armaturæ peditum. Cæterum equitum delectum habuit ex opulentissimis nobilium: illorum octodecim Centurias primis illis Legionariorum centuriis attribuit cum suis*

suis Præfectis Viris illustrissimis. *Reliquos Cives, quorum census minor fuit duodecim minis cum dimidia* (nempe 125. aureis) *sed numero non cedebant quinque classibus, aut superabant etiam, in unum ordinem congestos, immunes fecit a tributis simul, & militia*. Sic etiam Livius: *Hoc* nempe undecim millium, *minor census reliquam multitudinem habuit. Inde una Centuria facta est immunis militia*.

Ut igitur perspicuitatis gratia hæc à Dionysio, & Livio tradita in arctum colligamus, à Servio Rege Civitas in sex classes secundum opum diversitatem distributa: & classes ipsæ in Centurias.

Prima classis habuit eos, quorum census fuit minimum centum Minæ Atticæ, seu aurei moderni ex Juliis, mille: constabat centuriis nonaginta octo, videlicet, octoginta Centuriis peditum, decem & octo equitum.

Secunda classis continebat eos cives, qui minimum septingentos aureos in censu numerabant. Hæc distributa erat in Centurias viginti duas: quarum viginti militibus constabant, duæ verò opificibus.

In tertia classe ii fuerunt, qui fal-

ſaltem habebant centum quingentorum aureorum. Hæc claſſis continebat Centurias viginti.

In quarta claſſe ii numerabantur, quibus ſaltem ducentorum aureorum cenſus erat. Hęc conſtabat centuriis viginti duabus, quarum duæ erant Tubicinum, Cornicinumque.

Quinta claſſis eorum fuit, qui ſaltem cenſum centumvigintiquinque aureorum habebant; diſtribuebaturque in XXX Centurias.

Sexta claſſis Egenos omnes complectebatur, quibus erat cenſus minor aureis 125. Eaque una tantum Centuria conſtabat; dicebaturque, ut ait Dionyſius, *Egenorum Centuria*.

Itaque omnes Centuriæ explebant numerum centum nonaginta trium.

His ergo de Origine, & Numero Centuriarum expoſitis, facilè percipitur, quæ nam fuerint Comitia Centuriata; ea videlicet, quæ Populus per Centurias, claſſeſque diſtributus celebrabat, idque demum ratum habebatur, quod plures Centuriæ juſſiſſent: quemadmodum in Curiatis id erat ratum, quod major Curiarum numerus ſenſiſſet. Quo loco, obiter cum Sigonio lib. 1. c. 17. de antiquo

Jure Rom. animadverto, in Comitiis Curiatis Plebem, ac Pauperes plurimum potuisse: nam cum Cives per Curias distributi essent, major in qualibet Curia erat numerus Plebejorum, & Egenorum. Contra verò Comitia Centuriata tota erant Nobilitatis, & Divitum; cum plures essent Ditiorum, quàm Pauperum Centuriæ. Quin imò, in Comitiis Centuriatis hic ordo servabatur, ut primò ferrent suffragia nonaginta octo Centuriæ primæ classis, quæ si consensissent, aliorum classium Centuriæ minimè ad suffragium ferendum vocabantur; sed eo tantum casu, si primæ classis Centuriæ variassent. Nam primæ classis Centuriæ plures reliquis omnibus erant, cum ea sola 98. Centuriis constaret, reliquæ verò quinque classes haberent simul tantum Centurias 95. Quæ omnia disertè Livius confirmat lib. 1. *Non enim*, inquit, *ut à Romulo traditum, cæteri servaverant Reges, viritim suffragium eadem vi, eodemque jure promiscuè omnibus datum est; sed gradus facti, ut neque exclusus quisquam suffragio videretur, & vis omnis penes Primores Civitatis esset. Equites enim vocabantur primi*, LXXX.

in-

indè primæ classis Centuriæ. Ibi si variaret, quod rarò incidebat, ut secundæ classis vocarentur; nec ferè unquam infra ita descenderunt, ut ad infimos pervenirent.

Autor autem hujusmodi Comitiorum, quemadmodum Centuriarum, fuit idem Rex Servius Tullius. Livius, & Dionysius tradunt.

Cum autem visum sit, quæ fuerint Centuriata Comitia, quisve ea instituerit, jam reliqua prosequamur; nempe, quibus causis Comitia Centuriata habita, quis ea congregaret, in eisve ferret suffragium, quo loco, quo tempore celebrarentur, quid ante, quid in ipsis Comitiis servaretur; ac demùm quo modo, atque ordine suffragia ferrentur.

Quod spectat ad primum, jam superiùs dictum est, omnem ferè administrationem Reipublicæ à Comitiis Curiatis ad Centuriata, post eorum institutionem, devolutam esse: quarè quicquid anteà Comitiis Curiatis decerni solebat, exinde Centuriatis statuebatur, præter ea, quæ jam suprà adnotavimus, nempe armorum Imperium, & adoptiones. Tria ergo Centuriatis Comitiis peracta, donec Li-

bertas Reipublicæ mansit, nempe creati Magistratus, latæ Leges, Judicia facta, de quibus singillatim.

Creationem Magistratuum ad Comitia Centuriata spectasse, colligitur ex Livio lib 1. qui de initiis Libertatis loquens, post Reges exactos, *Duo Consules*, inquit, *Comitiis Centuriatis, à Præfecto Urbis, ex commentariis Ser. Tullii, creati sunt L. Junius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus*, & lib. 2. post abdicatum à Collatino Consulatum de Bruto sic scribit: *Collegam sibi Comitiis Centuriatis creavit P. Valerium*. Idem de creatione Consulum per Comitia Centuriata tradit Dionys. lib. 5.

Nec Consules modò, sed & Prætores iisdem Comitiis creati. Quod, cæteris testimoniis rejectis, quæ aliquam ambiguitatem præseferre videntur, disertè à Magno Oratore traditur pro lege Man.: *Nam, cum propter dilationem Comitiorum, ter Prætor primus Centuriis cunctis renunciatus sum*.

Censores item per Comitia Centuriata fiebant, quod ex Cicer. colligitur Orat. 2. de lege Agraria: *Nam*, inquit, *Centuriata lex Censoribus fe-*

re-

rebatur: Creandis nempe, ut ibi observat Manutius.

Proconsules etiam interdum, & Sacrorum Reges Comitiis Centuriatis creati. Ita creatus fuit Hispaniæ Proconsul Scipio, qui Africanus dictus est, ut Livius scribit lib. 26. *Jus*, inquit, *deinde inire suffragium, ad unum omnes, non modò Centuriæ, sed etiam homines P. Scipioni imperium esse in Hispania jusserunt*. Verùm hoc extra ordinem factum observant Antiquarii, nam ordinario jure, vel ex S. C., vel tributis Comitiis, Proconsules Provincias obtinebant, ut notat Sigonius lib. 3. de jure Provin. cap. 13.

Rex quoque Sacrorum, (erat autem hic Sacerdos ad ea sacrificia facienda, quæ soli Reges olim facere consueverant) creatus, ne Populus ob Sacrorum defectum Reges iterùm desideraret, undè Livius lib. 2.: *Quia quædam publica Sacra per ipsos Reges factitata erant, necubi Regum desiderium esset, Regem sacrificulum creant*) hic, inquam, Sacrorum Rex Comitiis Centuriatis creabatur, ut probat Gruchius lib. de Comitiis Romanis: Quamquam non ità constare videtur, quemadmodum de aliis Magistratibus.

His etiam Comitiis creati fuere Tribuni militares, & Decemviri legibus condendis, qui Consulari potestate Urbem aliquandiu tenuerunt, ut ex Livio, & Dionysio non obscurè colligitur, nam Livius lib. 5. *Dulcedo*, inquit, *invasit proximis Comitiis Tribunorum militum Plebejos creandi: Unus M. Veturius, ex Patriciis candidatis locum tenuit: Plebejos alios Tribunos militum, Consulari Potestate, omnes ferè Centuriæ dixere*: de Decemviris autem lib. 3. *Postquam verò Comitia Decemviris creandis in trinum Nundinum indicata sunt*. Quæ non nisi Centuriata fuisse, quilibet, in Romana historia non omninò rudis, intelligat.

Licèt autem omnes majores Magistratus Comitiis Centuriatis crearentur, tamen Dictator, Magister Equitum, & Interrex, quia Magistratus extraordinarii erant, per hæc Comitia non eligebantur. Nam quod attinet ad Dictatorem, is eligebatur non à Populo per suffragia, sed viva Consulis voce, ut ex Livio constat pluribus in locis; præcipuè autem lib. 4.: *Mæsta Civitas fuit, vinci insueta: odisse Tribunos, poscere Dictatorem: in eo verti spes Civitatis, &*

cum

cum ibi quoque Religio obstaret, ne non posset Dictator nisi à Consule dici, Augures consulti, eam religionem eximere, & lib. 7. *Dictatorem*, inquit, *dici placuit C. Sulpicium. Consul ad id accitus C. Plautius dixit.* (Eo siquidèm tempore Tribuni militum Consulari potestate Remp. regebant) Dictatoris etiam creandi jus Populo non fuisse ex eodem Livio constat lib. 22. *Itaque ad remedium jamdiu desideratum, & adhibitum, Dictatorem dicendum, Civitas confugit; & quia, & Consul aberat, à quo uno dici posse Dictator videbatur; nec per occupatam armis Punicis Italiam facilè erat, aut nuncium, aut literas mitti: nec Dictatorem Populus creare poterat, Prodictatorem Populus creavit.*

De Magistro Equitum, qui Dictatoris Collega erat, licet minori potestate, etiam certum est, eum per Populi suffragia non creatum. Nam is, ubi Consul Dictatorem dixisset, statim à Dictatore eligebatur. Sic legimus apud Livium lib. 6.: *Creatus*, nempe Dictator, *A. Cornelius Cossus Magistrum Equitum dixit T. Quinctium Capitolinum*. Videtur autem idem Autor alibi insinuare ab alio interdum,

quàm à Dictatore Magistrum Equitum creatum. Nam lib. 7. ait: *Magister Equitum Dictatori additus M. Valerius*. Et lib. 23. de Terentio Consule loquens, *Fabium*, inquit, *Buteonem*, *ex* S. C. *Dictatorem*, *sine Magistro Equitum in sex menses*, non enim ultrà Dictatoris producebatur Imperium, Sylla, & Cæsare exceptis, qui Dictaturam continuarunt, ultimusque Dictator perpetuus dictus est, *dixit*. Tamen hæc loca intelligo, *additum Dictatori*, vel *dictum sine Magistro Equitum Dictatorem*, non quia eum dicere ad Dictatorem non pertineret, vel ab alio dici posset, sed quod Senatus autoritate sua, talem Dictatori addendum Magistrum Equitum censebat, vel Dictatori non adjungendum Equitum Magistrum. Quam autoritatem sequutus Dictator dicebat, aut non dicebat sibi collegam, nempe Magistrum Equitum.

Jam verò Interrex (qui Magistratus, legitimo Magistratuum tempore finito, interim Rempublicam gubernabat, ad eumque pertinebat Comitia creandis Magistratibus habere: dicebaturque Interrex, quod à principio dum Reges Rempublicam Ro-

Romanam obtinerent, Rege mortuo, Rex interim esset, dum novus Rex crearetur: quod tamen oportebat Interregem intra diem quinctum fecisse, alioquin alius Interrex creabatur; idque cautum erat, ne is captus dominationis cupidine Comitia Regi, aut Consulibus creandis differret, ut ex Livio colligitur lib. 1.) Jam verò, inquam, Interrex, ne quidem ipse per Populi suffragia creabatur, sed Patricii illum eligebant. Sic Romulo extincto, quo tempore primus Interrex creatus est, Centum Patres Interregem crearunt, hoc pacto, ut decem imperitarent, & quinque diebus singulorum finiretur imperium, ac per orbem iret. Alibi etiam docet Livius, Interregem à Patriciis creari solitum: nam lib. 4. ait: *Modò prohibentibus Tribunis Patricios coire ad prodendum Interregem, &c.*, idque, ut apparet, ex veteri Instituto, quoniam sic post Romuli mortem factum.

Secunda Comitiorum Centuriatorum causa fuit Legum ferendarum causa. Quod non est ità accipiendum, ut his solis Comitiis leges ferrentur, nam & Curiatis, & Tributis quasdam perferre leges fuit mos, quæ Curiatæ,

vel Tributæ dicebantur: ſed quod etiam Comitiis Centuriatis, quaſdam etiam leges ferre mos erat, quæ ex eis Centuriatæ dicebantur. Quæ autem eæ leges fuerint, arbitrantur Antiquitatis Romanæ ſtudioſi, eas ferè fuiſſe, quæ à Magiſtratibus majoribus ferebantur, autoritate Senatus; vel quæ de rebus majoris momenti rogabantur. Undè Cicero lib. 3. de legibus: *Propterea quod neque Tributa Comitia Capitis rata eſſe poßunt, neque ullum privilegium maximum Comitium pro Centuriatis Comitiis poſuit, quod his, & majores Magiſtratus mandari, & ſumma quæque perfici ſolerent.* Talis fuit lex de Provocatione à Magiſtratibus ad Populum à Valerio Poplicola perlata, de qua ſic Val. Max. lib. 4. cap. 1. *Legem Comitiis Centuriatis tulit, ne quis Magiſtratus adverſum provocationem verberare, aut necare vellet.* Hujuſmodi Comitiis etiam latæ leges Decemvirales, decem Tabularum, ut Livius tradit lib. 3. *Centuriatis Comitiis*, inquit, *decem Tabularum leges perlatæ ſunt.* Sic etiam lex qua univerſum Populum, legibus à Plebe ſcitis teneri cavebatur, autoribus L. Valerio, & M. Horatio

ratio Conf. Comitiis Centuriatis lata eft, ut meminit Liv. lib. 3. *Cum*, inquit, *velut in controverso jure esset, tenerenturne Patres Plebiscitis, legem Centuriatis Comitiis tulere, ut quod Tributim Plebs jussisset, Populum teneret. Qua lege Tribunitiis Rogationibus telum acerrimum datum est.* Comitiis etiam Centuriatis lex de Cicerone ab exilio revocando perlata, ut ipse gloriatur in Orat. post redit. in Sen. *Quo*, inquit, *die nos Comitiis Centuriatis, quæ maximè Majores nostri justa dici, haberique voluerunt, accersivit in Patriam, ut eædem Centuriæ, quæ me Consulem fecerant, Consulatum meum comprobarent.*

Tertia tandem habendorum Centuriatorum Comitiorum causa fuere Judicia, non quidem omnia, sed unius tantum Perduellionis: hoc est, læsæ Majestatis, quo quis hostis publicus, & contrà Rempub. fecisse judicabatur. Tradit id Cic. in Orat. pro Sextio: *Cum*, inquit, *& sacratis legibus*, (quia nempe in sacro monte, quo Plebs secesserat, latæ.) *& duodecim Tabulis sancitum esset, ut neque privilegium*, (nempe lex privata, & unum tantum Civem respiciens) *irrogari li-*

liceret, *neque de capite*, (cum nempe quis Civitate, aut libertate privatur; ea enim eſt Capitis diminutio, ut patet ex Juriſconſultis) *niſi Comitiis Centuriatis rogari*. Idem autem lib.3. de Legib. affert ipſa verba legis, duodecim Tabularum : *Privilegia ne irroganto*. *De Capite Civis*, *niſi per maximum Comitiatum ne ferunto*. Per Maximum autem Comitiatum intelligi à Legislatoribus Comitia Centuriata, monet ibidem magnus Orator iis verbis: *Maximum Comitiatum*, *pro Centuriatis Comitiis poſuit* : additque rationem, *quod*, nempe, *his*, *&* *Majores Magiſtratus mandari*, *&* *ſumma quæque perfici ſolerent*, ut jam ante præmonui. Sic etiam Valerius lib.6. cap.5. Tiberium Gracchum, & C. Claudium, quod nimis ſeverè Cenſura geſta, majorem Civitatis partem exaſperaſſent, à Tribuno Pleb. Rutilio Perduellionis accuſatos : *Quo in judicio primæ Claſſis permultæ Centuriæ* Claudium apertè damnabant : *De Gracchi abſolutione univerſæ conſentire videbantur*. Hiſce Comitiis magnus Orator, malignitate Civium improborum, expulſus eſt in exilium Clodio adnitente; quamquàm per eadem

dem gloriosissimè revocatus, ut in ejus vita Plutar., & ipse non uno loco prædicat. Quam furentis, insanique Populi tempestatem, unà cum aliis illustribus Viris, & de Repub. optimè meritis expertus est, ut etiam ipse ad solatium calamitatis refert in Orat. pro Domo sua: *Hæso*, inquit, *ille Quintius, & M. Furius Camillus, & M. Servilius Ahala, cum essent optimè de Repub. meriti, tamen Populi incitati vim, iracundiamque subjerunt: Damnatique Comitiis Centuriatis, cum in exilium profugissent, rursùs ab eodem Populo placato sunt in suam pristinam dignitatem restituti*. Et hæc de causis Comitiorum Centuriatorum.

Ad quem verò pertineret ea Comitia congregare, sine ulla controversia, Scriptorum omnium testimonio convincitur, Majores tantum Magistratus id jus habuisse: nempe Consules, Prætores, Censores, Dictatores, Tribunos Militum Consulari potestate, Decemviros legibus scribendis, & Interreges.

Quoniam verò tribus de causis, ut prædixi, Centuriata Comitia convocabantur, nempe ad Creationem Magistratuum, Legum lationem, & Ju-

Judicia : non erat jus quibuslibet etiam ex Majoribus Magistratibus ea Comitia ad eorum quodlibet indifferenter pro arbitrio convocare : sed Magistratuum creandorum causa, soli Consules, Dictatores, Interreges, Tribuni Mil. Consulari Potestate, & Decemviri congregare poterant : Legibus verò ferendis Consules, Dictatores, Prætores, & Decemviri : Judiciorum verò causa Consules, Dictatores, & Prætores tantùm. Quibus demonstrandis nonnulla ex antiquis Scriptoribus à Gruchio, Manutio, & Rosino jam observata delibemus.

Et Consulibus quidem jus fuisse, Comitia Centuriata Magistratibus creandis vocare, passim in Romana historia occurrunt exempla : sive in iis Consules, Prætores, sive Censores, sive Tribuni militares Consulari Potestate, sive scribendis legibus Decemviri essent eligendi : Comitia Consularia à Consulibus habita : inter cætera, hæc Livius lib. 10., ubi de Fabio Consule loquens, *Indè*, inquit, *Comitiorum causa Romam profectus, maturavit eam rem agere;* & lib. 9. : *Dictatorem idem annus habuit P. Scipionem, cum Magistro Equitum P. Decio,*

cio: ab iis, propter quæ creati erant, Comitia Consularia habita; quoniam neuter Consulum potuerat bello abesse. Consulum, ergo, erat Comitia Consulibus creandis habere: quorum cum neuter, bello impeditus, adesse posset ad ea celebranda, in eorum locum suffecti Dictator, & Magister Equitum.

Prætoria etiam Comitia à Consulibus habebantur, non à Comitiis Prætoribus. Luculenter id ex Cicerone colligitur lib.9. epist.8. ad Attic. *Id assequitur, si per Prætorem Consules creantur.* Nos autem in libris habemus, non modò Consules à Prætoribus, sed ne Prætores quidem creari jus esse.

Censoribus item creandis Consules Comitia habebant: sic Cicero lib.4. epist. 2. ad Attic. *Si Comitia Censorum proximi Consules haberent*, & Liv. lib. 27. *Per eos dies, & Censoribus creandis, Q. Fulvius Consul Comitia habuit.*

Eorum etiam fuisse, tam Tribunis militaribus, tam Decemviris creandis indicere Comitia, iisque præsidere, palàm est. De Comitiis Tribunorum sic Liv. lib.4. scribit de primis Co-

Comitiis, quibus Tribuni militares Poteſtate Conſulari creati ſunt, quod contigit anno Urbis CCCX. *Comitia*, inquit, *Tribunis Conſulari Poteſtate tribus creandis indicuntur* : & ne quis ambigere poſſet, an iis Conſules præfuerint, ſic habet inferiùs : *non tamen pro firmato ſtetit Magiſtratus ejus* (nempe Tribunorum militum) *jus : quia tertio menſe, quod inierunt Augurum decreto, perinde ac vitio creati, honore abiere ; quod C. Curtius* [Conſul is ejus anni cum M. Genucio fuerat] *qui Comitiis eorum præfuerat, parùm rectè Tabernaculum cæpiſſet*. De Decemviris nihil certi occurrit, ſed & ipſos primò anno à Conſulibus Comitia habentibus creatos non dubito : nam ſequenti anno iterum refectos ipſis Comitia celebrantibus certum eſt. Nec ultrà biennium ea poteſtas in Republica extitit.

Quoniam verò bini Conſules erant, non uterque, ſed unus tantùm eorum Comitiis præſidebat. Conſtat ex Livii pluribus locis, præcipuè autem lib. 4. *Conſulum ambo profecti ſint ad arcem Carvetanam, an alter ad Comitia habenda ſubſtiterit, in certum eſt*. Quis autem eorum id præſtiturus eſſet,

esset, vel inter se comparabant, vel sortiebantur, quod pluribus in locis Livius memorat. Sic lib. 35.: *Consulibus ambobus Provincia decreta est, ita ut inter se compararent, sortirenturve, uter Comitiis ejus anni præesset.* Quoniam verò magni intererat ejus, qui Comitiis præfuisset, magnæque in ea re utilitates ipsius vertebantur, nam ferè ii Consules creabantur, aliique Magistratus mandabantur iis, quos Comitiorum Præsul commendasset; idcircò, cum difficilè esset, eas alteri spontè concedere, plerumque sorti res committebatur. Sic Appius Claudius, quòd ei sors Comitia habendi obtigerat, contra multorum Competitorum potentiam obtinuit, ut iis Comitiis P. Claudius, ejus Frater, Consul crearetur. Et Cn: Bæbius Consul cum Collega comparavit, ut ipse Comitia haberet, quia M. Bæbius, ejus Frater, Consulatum petebat, ut narrat Livius lib. 40.: *Ita inter se Consules compararunt, ut Cn: Bæbius ad Comitia iret, quia M. Bæbius, Frater eius, Consulatum petebat.* Si verò is Consul, cui sorte obtigisset habere Comitia, aliquo impedimento detineretur, quominus id commodè obire posset,
 al-

alteri vices suas mandabat. Sic Livius lib. 39. *Jam*, inquit, *Consularium Comitiorum appetebat tempus, quibus quia M. Æmilius, cujus sortis ea cura erat, occurrere non potuit*, C. *Flaminius Romam venit. Ab eo creati Consules Sp. Posthumius Albinus, Q. Marcius Philippus*. Manutius ad epist. 2. lib. 2. ad Q. Fr., & in lib. de Comitiis ait, interdum observatum, ut is Consulum Comitia haberet, qui primò loco factus esset. Quod probat facto Ciceronis, qui, ut ipse testatur in Orat. pro Mur., Comitia Consularia habuit. Cicero autem primò loco designatus fuerat, ut ipse scribit in Orat. con. Piso.: *Me cuncta Italia, me omnes Ordines, me universa Civitas, non priùs tabella, quam voce, priorem Consulem declaravit*.

Quo verò tempore Plebe adnitente, sublato Consulatu (siquidem, ut ait Livius lib. 5., *Consules invisus Plebi Magistratus erat*) Tribuni militum Consulari potestate Rempublicam administrarunt, *quos, & imperio, & insignibus Consularibus* usos tradit Livius lib 4. Ii Comitiis præsidebant. Qui cum plures essent [nam licet primò tres, tamen aliquando ad VIII. crea.

creati, plerumque verò sex] non est dubium, quin eadem, qua Consules ratione sortirentur, quis eorum Comitiis esset præsuturus. Unum autem tantum de numero eorum præfuisse Comitiis patet ex Livio, præsertim lib. 4., ubi ait: *Creati Tribuni Consulari potestate omnes Patricii, L. Quinctius Cincinnatus III. L. Furius, Medullinus II. M. Manlius, Aulus Sempronius Atratinus:* deinde subjungit; *Hoc Tribuno*, Atratino videlicet, *Comitia Quæstorum habente*. Quibus apertè demonstratur ab uno Tribunorum habita Comitia. Quibus Comitiis aliquando Tribuni militares, aliquando, Consulari dignitate jus suum repetente, Consules creati: & de Tribunis quidem, sic Liv. lib. 4. *Tribuni militum, mentione nulla Comitiorum Consularium habita, Tribunorum militum Comitia edixere.*

Interdum verò Comitia creandis Magistratibus habebantur à Dictatore, siquidem ii Magistratus in Republica Comitiorum tempore reperiretur; quin & aliquando Consulibus impeditis, quominùs neuter eorum Comitiis præesse posset, ob eam tantum habendorum Comitiorum causam

creati Dictatores. Utrumque ex Livio colligo; nam lib. 23. ſic de Fabio tum temporis Dictatore, loquitur: *Dictator de ſe pauca, ac modicè loquutus, in Magiſtrum Equitum Ti. Sempronium Gracchum magnam partem gloriæ convertit, Comitiaque edixit*. Et paulò indè: *Dictator, creatis Magiſtratibus, Theanum in hiberna ad Exercitum rediit*. De Dictatore autem habendorum Comitiorum cauſa tantum creato, hæc ſcribit lib. 22. *Patribus rectius viſum eſt, Dictatorem à Conſule dici Comitiorum habendorum cauſa*: & lib. 7. *Eademque cauſa Dictatoris deſiderium Senatui fecit, ut eſſet qui ægris Conſulibus Comitia haberet*.

Interreges denique habendis Comitiis creatos, ſi quando Conſules impediti munus id ſuarum partium obire non poſſent; vel cum, aut ob diſcordiam civilem, aut aliam ob cauſam legitimo creandorum Magiſtratuum tempore elapſo, res ad Interregnum redibat, paſſim in Hiſtoria Romana legimus. Sic Liv. l. 4. *Q. Fabio Vibulano*, inquit, *Interrege Comitia habente, Conſules creati ſunt, &c.*, & lib. 5. *Conſulibus*, inquit, *morbo im-*

implicitis, placuit per Interregnum renovari auspicia. Itaque cum ex S. C. Consules se Magistratu abdicassent, Interrex creatur M. Furius Camillus: qui P. Cornelium Scipionem, is deindè L. Valerium Potitum Interregem prodidit; ab eo creati Tribuni militum Consulari potestate. Quid autem sit causæ, cur tot Interreges creati à Livio dicantur, operæ pretium est scire. Cum enim, ut jam antè prædixi, Interregis potestas non duraret ultra quintum diem, sæpè fiebat, ut per Comitiales dissensiones, sive alias ob causas Magistratuum creatio differretur; undè necesse erat alium, atque alium subinde Interregem prodere, donec Magistratus crearentur. Hæc autem plurium Interregum successio, tum ex hoc loco, tum ex pluribus aliis Livii apertissimè constat. Sic lib. 6. legimus: *Interregnum initum. P. Cornelius Scipio Interrex, & post eum M. Furius Camillus iterum:* & eodem lib. *Res ad Interregnum rediit. Interreges deinceps M. Manlius Capitolinus, Ser. Sulpicius Camerinus, L. Valerius Potitus: hic demum Tribunorum militum Consulari potestate Comitia habuit.* Idem factum eo anno, quo Milo sub

ipsum Comitiorum tempus Clodium interfecit, Autor est in Commentariis Milonianæ Asconius; ea siquidem cæde tota Urbe commota, studiisque in diversa tendentibus, *fiebant*, inquit Asconius, *alii ex aliis Interreges, quia Comitia Consularia propter eorum Candidatorum tumultum, & eamdem armatam manum haberi non poterant*: quin, & aliquando eò res deducta est, ut undecim Interreges unus alteri succederet. Habetur id in Liv. lib. 7. *Prolatandis deinde Comitiis, cum Dictator Magistratu abiisset, res ad Interregnum rediit. Infestam indè Patribus Plebem Interreges cum accepissent, ad undecimum Interregem seditionibus certatum est*. Ut autem id obiter observem, Primus Interrex à Patribus creabatur; hic verò, suo tempore finito, alium deinde prodebat, isque tertium, ac sic deinceps; donec tandem, superatis difficultatibus, Magistratus crearentur; quæ duo jam ex locis supra advocatis apertè colliguntur.

Cum autem Centuriata Comitia ferendis legibus congregata essent, id jus erat penes solos Consules, Dictatores, Prætores, Decemvirosque: Et

et à Consulibus quidem latas leges, ipsum nomen legum Consularium toties à Scriptoribus iteratum, satis apertè declarat. Talis fuit lex de Ambitu Cornelia Bæbia à Consulibus Bæbio, & Cornelio lata anno Urbis DLXIX. *Leges*, inquit Livius, *de Ambitu Consules ex autoritate Senatus ad Populum tulerunt*. Et lib. 3. de L. Valerio, & M. Antonio Consulibus loquens, *Legem*, inquit, *Centuriatis Comitiis tulere, ut quid Tributim Plebs jussisset, Populum teneret*.

Latas etiam à Dictatoribus leges iis Comitiis tum aliis in locis, tum præcipuè colligitur ex Livio lib. 4., ubi loquens de Dictatore Mamerco Æmilio, *Consensu*, inquit, *Populi postero die legem pertulit*.: nempe ut Censura, quæ antea quinquennalis erat, in posterum *annua*, *& semestris esset*. Atqui ea lex non potuit ferri nisi Comitiis Centuriatis: nam quæ Curiatis ferrentur, jam dictum est.

De Prætoribus etiam ex eodem Livio liquet præsertim lib. 45., ubi legitur, M. Juventium Prætorem tulisse Rogationem de bello Rhodiis indicendo, quod certè Comitiis Centuriatis factum oportuit. De Decem-

viris jam ſupra dictum, eos Comitiis Centuriatis leges tuliſſe.

Quod autem ſpectat ad Judicia, ea Comitiis Centuriatis exercita, primò à Conſulibus, deinde à Dictatoribus, tum denique à Prætoribus. Coriolani Judicium per Conſules Comitiis Centuriatis factum à Livio diſertè tradi, lib. 2. ſcribit Roſinius; ſed ego ubi id, nec indiſertè afferat, videre potui. Quin Plutarchus in Coriolano ait, eum non Centuriatis, ſed Tributis Comitiis damnatum, cum Tribuni perviciſſent, ut ſuffragia non per Centurias, ſed per Tribus ferrentur: quamquam novo more, ut obſervat Sigonius lib. 3. cap. 5. de Judiciis, cum nondum Comitia Tributa inſtituta eſſent. Illud verò eſt eam cauſam, niſi vis valuiſſet, agi Comitiis Centuriatis debuiſſe. In quibus cum & alii Magiſtratus actionem haberent, non ſequitur à Conſulibus habitum omne Judicium, quod Centuriatis Comitiis fieret. Cæterum arbitror ea Comitia, licet invitè, à Conſulibus habita, ratione magis id ſuadente, cum id juris eſſet ordinarii, ut Conſules illa convocarent, iiſque præeſſent, quàm quòd id Livius, aut Plu-

Plutarchus, aut Dionysius expresserit.

De Dictatoribus etiam non obscura res est: nam L. Quinctius ad habendum de Sp. Melio judicium dicitur consedisse apud Livium lib. 4., quod certè non nisi Comitiis Centuriatis fieri potuit, cum de Capite Civis non liceret nisi per maximum Comitiatum agere Jure XII. Tabular., ut ex Cicerone notavimus.

Prætorum etiam id juris fuisse, colligitur ex Livio lib. 43.: *Tribuni*, inquit, *Plebis postquam se perduellionis judicare reis pronunciaverunt, diem Comitiis à Prætore Urbano petierunt.* Atqui Judicium perduellionis nonnisi Comitiis Centuriatis fieri potuisse, jam ante dictum est. Nec Prætores aliis id jus tradere potuissent, quod ipsi non haberent.

Ex quibus colligitur, præter Consules, Dictatores, Prætoresque, quibus ordinario jure competebat, etiam alios Magistratus Minores hæc Comitia, Majoribus permittentibus, habere potuisse. Quod etiam observat Sigonius lib. 3. de Judiciis cap. 5. Et Tribunos Plebis Centuriata Comitia habuisse proximè vidimus, ac prætere-

rea

rea apud Livium lib.6. legimus *Populi Concilium indictum* ad Manlii judicium faciendum, Tribunis accusantibus. Quod idem fecisse etiam Quæstores, idem autor est lib.2., ubi ait: *à Quæstoribus diem dictam Sp. Cassio; damnatumque eum perduellionis fuisse Populi judicio*. Quæ omnia hos Minores Magistratus fecisse consensu Majorum pro certo habendum.

Quibus non sine aliqua difficultate expeditis, jam postulat propositarum rerum ordo, ut de iis, quibus suffragii jus erat Comitiis Centuriatis, dicamus. Cum ergo, vel Magistratus creandi, vel ferendi Leges, vel exercendi Judicia, Centuriata Comitia ab eo, cui vocare jus erat, haberentur; Cives omnes Romani per Centurias descripti, sive qui Urbem incolerent, sive qui extra illam per Colonias, & Municipia Italiæ distributi essent, jus ferendi suffragii in illis habebant. Et de Populo quidem Urbis inquilino nemini dubium esse potest. In quo tamen illi excipiebantur, qui nota aliqua aut ignominia à Censoribus essent affecti: ii nanque statim ax albo Centuriæ suæ expungebantur, eoque facto jus ferendi suffra-

fragii illis adimebatur, & in Tabulam Cæritum referebatur. Cum enim Cærites, quo tempore Roma à Gallis tenebatur, Romanorum Sacris benignè hospitium præbuissent, iis post eam Cladem à Romanis gratia relata, donatique Cærites Romana Civitate, non tamen suffragii jure. Undè qui Civium suffragii ferendi jure privabatur, in Tabulam Cæritum referri dicebatur: ut scribit Agellius lib. 16. c. 13.: *Primos*, inquit, *Municipes sine suffragii jure Cærites esse factos accepimus: concessumque illis, ut Civitatis quidem Romanæ honorem caperent, sed negotiis tamen, atque oneribus vacarent, pro Sacris Bello Gallico receptis, custoditisque. Hinc Tabulæ Cærites appellatæ versa vice, in quos Censores referri jubebant, quos notæ causa suffragiis privabant*. Quod idem innuit Horatius lib. 1. epist. 6.

.... *Cærite cera*
Digni ....

hoc est, digni qui à Censoribus privarentur jure suffragii, & in tabulam Cæritum referrentur. Idipsum tradit Asconius Pedianus in Divinationem: *Censores*, inquit, *quincto quoque anno creari solebant. Hi prorsus Cives sic nota-*

notabant, *ut qui Senator eſt*, *ejiceretur è Senatu ; qui Eques Romanus equum publicum perderet ; qui Plebejus in Cæritum Tabulas referretur*. Quod tamen intelligendum eſt, quòd attinet ad privationem ſuffragii, ſi Populus eam notam Cenſorum approbaſſet, ut ex Livio notat Sigonius lib. 2. cap. 16. de Antiquo Jure Civium Romanorum. Cenſores enim quinque modis notare Civem aliquem poterant : aut Senatu ejicere, ſi Senator eſſet ; aut equo publico ſpoliare, ſi Eques ; aut movere Tribu, quod erat ex una in alteram Tribum minus nobilem transferre. (Nobiliores autem Ruſticæ Tribus quàm Urbanæ habebantur, ut Plinius lib. 18. cap 3. admonuit : *Ruſticæ Tribus*, inquit, *laudatiſſimæ eorum*, *qui rura haberent*. *Urbanæ verò*, *in quas transferri ignominiæ eſſet deſidiæ probro :*) aut in Cæritum Tabulas referre, quod erat, ut prædictum eſt, ſuffragii ferendi jus adimere. Hoc tamen, ut ex Livio colligitur, Cenſori injuſſu Populi non licebat : undè apud eum lib. 45. : *Negabat Claudius* (Cenſor is erat cum Tiberio Graccho) *ſuffragii lationem injuſſu Populi Cenſorem cuiquam homini*, *ne-*

nedum ordini universo adimere posse: neque enim si Tribu movere posset, quod sit nihil aliud, quàm mutare jubere Tribum; ideò omnibus V., & XXX. Tribubus emovere posse, idest Civitatem, libertatemque eripere. Qua nota qui per Censores, Populo eorum judicium probante, affecti erant, demum inter Ærarios referebantur: quod erat, ut scribit adducto loco Asconius, *nullum aliud jus Civitatis in Centuria, atque adeò in Tribu relinquere, quàm ut pro Capite suo tributi nomine æra penderent*. Illi ergo Cives, qui in Tabulas Cærites relati erant, vel ærarii à Censoribus facti, in his, aliisque Comitiis suffragium ferre non poterant. Et hæc de Urbano Populo.

Habebant item jus suffragii in Comitiis Centuriatis ii Cives, qui extra Urbem habitabant; imò & Coloniæ, & Municipia universa, quæ in Italia Civitatis Romanæ pleno jure gaudebant. Constat id apertè ex Hirtio lib. 8. de Bello Gallico, ubi sic de Cæsare. *Ipse*, inquit, *hibernis peractis, contra consuetudinem in Italiam quammaximis itineribus est profectus, ut Municipia, & Colonias appellaret, quibus M. Antonii Quæstoris sui commen-*

mendaret Sacerdotii petitionem. Et paulò poſt: *Hunc & ſi, Augurem priùs factum, quàm Italiam attingeret, in itinere audierat; tamen non minùs juſtam ſibi cauſam Municipia, & Coloniis adeundi exiſtimavit; ut iis gratias ageret, quod frequentiam, atque officium ſuum Antonio præſtitiſſent: ſimulque ſe, & honorem ſuum in ſequentis anni commendaret petitione*. Idipſum non minùs apertè ex magno Oratore colligitur, in Orat. in Piſonem, ubi de ſua ab exilio revocatione ſic loquitur: *Mei capitis ſervandi cauſa Romam uno tempore, quaſi ſigno dato, Italia tota convenit*. Et in Orat. poſt Redit. in Senatu: *Quando tantam frequentiam in Campo*. (Martio ſcilicet, ubi Comitia Centuriata habebantur) *tantum ſplendorem Italiæ totius, Ordinumque omnium; quando illa dignitate tot Rogatores, Diribitores, Cuſtodeſque vidiſtis?*

Dixi ſuffragiis admiſſos in Comitiis Centuriatis eos tantùm Cives ex Coloniis, aut Municipiis, quæ pleno jure Civitatem Romanam habebant. Nam & fuiſſe multas Colonias, & Municipia diminuti juris, quæque partem tantum Privilegiorum obtinerent, exem-

exemplo sunt Cærites, de quibus jam dictum est: & apertè demonstrat Sigonius lib. 2. c. 3. de Jure Ital.

Et hæ quidem Personæ Comitiis Centuriatis intererant tanquam eis Præsidentes, aut Suffragatores. Verùm præter hos alii quoque his Comitiis interesse solebant: quemadmodum *Candidati*, qui alba veste Magistratus petebant: *Diribitores*, qui Tabellas Suffragatoribus in aditu Pontium distribuebant; id enim significat *Diribere*. *Rogatores*, qui Populum, ut alicui suffragarentur, rogabant: *Custodes*, qui Cestas Tabellarum custodiebant, ne quid fraudis in ea committi posset: *Præcones*, qui singularum Centuriarum suffragia, & nomina designatorum clara voce edebant. De quibus postea. Jam de loco narremus.

Locus his Comitiis habendis erat extra Urbem, Campus videlicet Martius. Quis autem fuerit Campus is, nemo est qui nesciat ex Livio lib. 2.: *Agrum Tarquiniorum, qui inter Urbem, ac Tiberim erat, iis expulsis, Marti consecratum: qui Martius deinde Campus fuit*. Videtur tamen ipse sibi Livius obstare, cum lib. 1. jam scri-

ſcripſiſſet de Ser. Tullio, qui ante Tarquinium regnavit: *Cenſu perfecto, edixit, ut omnes Cives Romani, Equites, Peditesque in ſuis quiſque Centuriis in Campo Martio prima luce adeſſet.* Quid ais Livi? Ergo ante Tarquinium Marti ſacer Campus: non ergo eo expulſo Martius extitit Campus. Sed Dionyſium ſoluit hunc nodum lib. 4. qui ait: Campum Marti ſacrum à Tarquinio, utpote Tyranno, ſpreta Religione in ſuos uſus converſum: qui iterum à Bruto, & Valerio Coſſ. priſtinæ Religioni redditus, & Marti ſacer factus. Campum autem Martium, ſive Tiberinum Populo Romano à veſtali Virgine legatum ſcribit Agellius lib. 6. cap. 7., quod fortaſſe ſub ipſo Romulo contigit. Cauſa verò, cur intrà Urbem, & in Comitio quemadmodum Comitia Curiata, etiam Centuriata haberi non poſſent, ea eſt, quam tradit Lelius Felix apud Agellium lib. 15. c. 27. nempe, *Centuriata Comitia intra Pomœrium fieri nefas eſſe, quia Exercitum extra Urbem imperari oporteat, intrà Urbem imperari jus non ſit. Propterea Centuriata in Campo Martio haberi, Exercitumque imperari præſidii cauſa ſolitum;*

tum; quoniam Populus esset in ferendis suffragiis occupatus.

Locum autem his Comitiis solemnem fuisse Campum Martium, præter Agellii testimonium, nil frequentius apud Romanæ Historiæ Scriptores. Verùm pro cunctis sit nobis magnus Orator, totius Antiquitatis non minùs, quàm Eloquentiæ Princeps. Is ergo lib. 2. ad Q. F. epist. 2. *Recordatus est*, inquit, *quid sibi in Campo Martio Comitia Consulum habenti contra auspicia acciderit*. Et in Orat. pro domo: *Ille verò dies quis fuit*, *cum te*, P. Lentule, *legem de me ferentem Po. Ro. ipse vidit*, *sensitque*, *quantus*, *& quanta dignitate esses? Constat enim nullis unquam Comitiis Campum Martium tanta celebritate*, *tanto splendore omnis generis hominum*, *ætatum*, *ordinum floruisse*. Semel reperio Comitia Centuriata extra Campum Martium habita, quibus scilicet, damnatus est M. Manlius Capitolinus, causamque addit Livius lib.6. his verbis: *In Campo Martio cum Centuriatim Populus citaretur*, *& Reus ad Capitolium manus tendens ab hominibus ad Deos preces avertisset; apparuit Tribunis*, *nisi oculos quoque hominis libe-*

O raf-

rassent à tanti memoria decoris, nunquam fore in praeoccupatis beneficio animis verum crimini locum. Ita producta die, in Petelinum lucum extra portam Flumentanam, undè conspectus in Capitolium non esset, Concilium Populi indictum est.

Quo autem anni tempore hujusmodi Comitia celebrarentur, quantum ad Leges, & Judicia spectat, nullum certum tempus constitutum reperitur; sed secundum occurrentia negotia extimandum est, indicta fuisse. Comitia verò Magistratibus creandis circa tempus, quo veterum Magistratuum finis instabat, habita fuisse, non immeritò studiosi Antiquitatis arbitrantur: quod cum varium fuerit, ejusdem etiam rationis Comitiorum tempora fuisse oportuit. Nam circa Annum Urbis CCLXXXIX. Kalendis Sextilibus inibant Magistratus: ut testatur Livius lib. 3. *Comitia inde habita, creati Consules L. Æbutius, P. Servilius Kal. Sextilibus, ut tunc principium anni agebatur, Consulatum ineunt.* Quare non ab re possumus suspicari per Junium, aut Quinctilem Comitia habita. At circa Annum CCCII. Magistratibus ineundis solemnes

nes erant Idus Maji, ut idem Livius lib. eod. affirmat, ubi de Decemviris loquens, *Idus*, inquit, *tum Majæ solemnes ineundis Magistratibus erant*. Undè Comitia eo tempore Martio, vel Aprili mense celebrata non erit absonum opinari. Neque is rerum tenor perpetuò stetit, nam secundo Bello Punico, anno videlicet Urbis DXL., pro Idibus Maji Martiæ substitutæ reperiuntur, ut Livius idem lib. 26. testis est. *M. Marcellus*, inquit, *cum Idibus Martii Consulatum iniisset*. Et lib. 27. *Q. Fabio Maximo V. Q. Fulvio Flacco IV. Coss. Idibus Martii, quo die Magistratum inierunt*. Et lib. 31. *Omnium primum eam rem Idibus Martii, quo die tum Consulatum inibatur, P. Sulpicius Coss. retulit*. Quod servatum reperio ad annum DC. non solùm à Consulibus, sed etiam à Prætoribus: testatur id Livius lib. 40., ubi de Consulibus, & VI. Prætoribus ait: *ii omnes Magistratum Idibus Martii inierunt*. Quo tempore Januario, vel Februario Comitia habebantur, constat id ex Livio lib. 38.: *Comitia Consulibus rogandis fuere A. D. XII. Kal. Martias*. Ait tamen paulò superiùs Consulem, *solito serius ad Comi-*

 tia

tia venisse, & lib. 42. : *Comitia Consularia, in quam edicta erant die A. DXII. Kal. Martias sunt habita*. De Mense verò Januario sic lib. 43. : *ut A. Hostilius Consul Comitia Consulibus subrogandis ita ediceret, ut mense Januario Comitia haberi possent*. At verò anno Urbis DC. Kalendæ Januarii ineundis Magistratibus fuerunt destinatæ : primique, qui iis Consulatum inierunt, memorantur Q. Fulvius Nobilior, & T. Annius Luscus, ut notat Goltzius in Fastis : & lib. de Origine Populi Rom. Circa hæc tempora hanc mutationem Comitiorum, & ineundi Magistratus contigisse memorat Epitome 47. Liviana : *Consules*, inquit, *A. D. DXCVIII. ab Urbe condita Magistratum peractis Comitiis, insequentisque annis Consulibus creatis inire cœperunt. Mutandi Comitia causa fuit, quod Hispani rebellebant*. Et Ovid. 3. Fast. ait : Martium fuisse mensem ineundis Magistratibus solemnem usque ad tempora Belli Punici.

Hinc etiam veteres initi memorantur honores,
Ad spatium Belli Perfide Pœne tui,

quod de tertio Bello Punico accipiendum est; nam sub ejus Belli tempus facta

facta hæc mutatio. Siquidem Bellum Punicum tertium incidit in annum Urbis DCIII. Fulvius autem, & Luscus, qui primi Kalendis Januarii iniere, Consules fuere anno DC. Ex quo tempore perpetua mansit consuetudo, ut Kalendæ Januariæ ineundo Consulatui, cæterisque Magistratibus, Tribunis Plebis exceptis, qui Decembri mense inibant, dedicatæ, solemnesque essent. Ovidius 1. Fastor. de Kalend. Januariis loquens, sic ait:

Tamque novi præeunt fasces, nova purpura fulget,
Et nova conspicuum pondera sentit ebur

& lib. 4. de Ponto, eleg. 4. de Ser. Pompejo Consule designato:

Ergo ubi, Jane biceps, longum reseraveris annum,
Pulsus & à sacro mense December erit
Purpura Pompejum summi velabit honoris, &c.

Sic etiam Lucanus.

Instabatque dies, qui dat nova nomina Fastis,
Quique colet Primus ducentem tempora Janum.

Accedit Statius lib. 4. Silv. de XVII.

Consulatu Domitiani.

Læta bis Octonis accedit purpura Fastis,
Cæsaris insignemque aperit Germanicus anno,

ea ratione qua supra Ovidius dixit *reserare annum*. Idem ex Martiale colligitur lib. 8. ep. 2., ubi de Januario mense,

Fastorum Genitor Parensque Janus.

& lib. eod. Epig. 66.

Quorum pacificus ter ampliavit Janus nomina.

Quibus innuit Pompejum Magnum, & M. Agrippam ter Consules factos; sic Magnus Orator de se scribit in Orat. 2. pro L. Agraria: *Popularem me futurum esse Consulem prima mea illa Oratione Kalendis Januariis dixi;* & paulò post: *Ego qualem Kalendis Januariis acceperim Remp. Quirites intelligo.* Suet. in Aug. c. 26. *Secundum, Consulatum*, inquit, *gessit paucissimis horis, nam die Kalendarum Januarii cum mane pro æde Capitolini Jovis paululum curuli sella præsedisset, honore abiit, suffecto alio in locum suum.* Et in Nerone c. 15. *Defuncto*, inquit, *circa Kalendas Januarii altero è Consulibus, neminem suffecit, improbans vetus*

tus Caninii Rebilii exemplum uno die Consulis. Quem Caninium, ut scribit Suetonius idem in Cæsarem, Cæsar Dictator in paucas horas Consulem fecit: *Pridie Kalendas Januarias repentina Consulis morte cessantem honorem in paucas horas petenti dedit*. Undè illi Ciceronis in Caninium joci, quos refert Macrobius lib. 2. cap. 3. Saturnal. nempe, eum fuisse Consulem vigilantem, qui in suo Consulatu somnum non vidit: alias etiam de illo quæsitum à Cicerone, quibus Consulibus Consul fuisset. Argutum etiam fuit in ejusdem Caninii ridiculum Consulatum Votacilii Pitholai dictum: Ante Flamines, nunc Consules Diales fiunt; joco nempe ex ambiguitate vocis *Dialis* petito.

Hunc autem Kalendarum Januarii die ineundi Consulatus morem perductum usque ad novissima tempora, quibus tandem Consulatus è Rep. Romana omninò sublatus est, colligimus ex Sidonio, & Cassiodoro; quorum primus lib. 8. ep. 6. *Cum*, inquit, *Pater meus Præfectus Prætorio Gallicanis tribunalibus præsideret, sub cujus videlicet Magistratu Consul Asterius anni sui fores votivum trabeatus aperuerat*.

Quid ſit autem fores anni aperire, jam ex Papinio, & Ovidio ſuperiùs adnotatum eſt. Caſſiodorus autem ſic de editiali Conſulum die l. 2. ep. 1. *Felix à Conſule ſumat annus auſpicium, portamque dierum tali nomine dicatam Tempus introeat :* Uterque autem horum Scriptorum Gothorum temporibus floruere, quibus magna illa, & præclara Dignitas Conſulatus à L. Brutò annis ampliùs mille in Romana Rep. viguerat, in Fl. Baſilio noviſſimo Conſule defecit; factumque eſt, ut, ſicut per Conſules exacti reges erant, ſic per Regem, id enim Baſilius Græcè, tolleretur Conſulatus.

Quo igitur menſe celebrarentur Comitia, ſiquidem & ipſa mutato ineundi Magiſtratus die loco mota fuiſſe Epitome Liviana nos admonuit, poſtquam ab Idibus Martiis ad Kalendas Januarias translata eſt Magiſtratuum ineundorum ſolemnitas, colligitur ex Cicerone Orat. 1. in Verrem : nempe ad finem Julii, & initium Auguſti haberi Comitia creandis Magiſtratibus conſueviſſe. Ait enim ibi Magnus Orator : *Ecce autem repentè his diebus paucis Comitiis Conſularibus factis*. Atqui ea Oratio habita

bita est Nonis Augusti, ut ibidem dicitur: *Nonæ sunt hodie Sextiles:* igitur si paucis diebus ante facta Comitia, vel fine Julii, vel initio Sextilis oportuit facta. Idem colligitur ex ep.1. lib.1. ad Attic., ubi de Comitiis loquens: *In Campo Comitiis Tribuniciis ad XVI. Kal. Sextiles competitores, qui certi esse videbantur:* in fine autem epistolæ novos Consules designatos nominant, L. Cæsarem, & C. Figulum. Idipsum ex epistolis Coelii ad Ciceronem habetur: sic enim l.8. Famil. ep.8. *Has ego tibi literas majore misi intervallo, quod Comitiorum dilationes, impeditiones me habebant, & expectare in dies exitum cogebant, ut confectis omnibus te facerem certiorem; ad Kal. Sext. usque expectavi.* Igitur Quintili mense Comitia celebrabantur, sed per dilationes usque in Sextilem processerant.

Reperio etiam aliis, præter istos, mensibus habita Comitia, & quidem Martio mense scribit ad Q. Fratrem Cicero lib.2. ep.12. fore, ut Comitia haberentur. *Et quod Gabinia lege sancitum sit, etiam cogi ex Kalendis Februarii, usque ad Kalendas Martias, Legatis Senatum quotidie dari. Ita putan-*

tantur detrudi Comitia in Menſem Martium. Ubi notat Manutius id extra ordinem contigiſſe, quod ſcilicet res deducta eſſet ad Interregnum, Magiſtratibus, qui ſuccederent veteribus, ebeuntibus, minimè deſignatis. Sic etiam eod. lib. ep. 2. ſupra dixerat: *Nam Comitia, ſine mora futura, videntur edicta ſunt ad xi. Kalendas Februarias*. Pariter etiam quo anno Cicero geſſit Conſulatum, Comitia per Octobrem menſem habita ab eodem Cicerone colligit Fabricius in Chronico ejus anni, ex Orat. I. in Catilin., & pro Muræna. Verùm quotieſcumque id accidit, à legitimis menſibus per altercationes, & interceſſiones Comitia translata reputare debemus. Præcipuè iis temporibus Republica turbulentiſſima, & bella civilia jamdudum parturiente.

Quid autem fuerit in cauſa, cur inituri tandem Kalendis Januariis Magiſtratus tanto ante crearentur, illud exiſtimare poſſumus fuiſſe, ut eo ſpatio daretur locus Accuſatoribus inquirendi, ſi quid fortè contra leges, præcipuè ambitus, in eorum creatione peccatum fuiſſet. Hinc Syllam, & Autronium jam deſignatos, à Torqua-

quatu, & Cotta Consulatu dejectos legimus, quod Populi suffragia pecuniis emissent: & Muræнам Consulem designatum Cicero, tunc Consul, adversus Catonem, & Sulpicium de ambitu eum accusantibus defendit. Illud etiam utilitatis ex hac præpropera Magistratuum designatione consequebatur, quòd designati eo temporis spatio, quod à die creationis ad initionis diem intercedebat, se comparare poterant; ac negocia, & munera Consularia ante prædiscere: sicque meditati, comparatique ad regendam Rempublicam accedebant. Solitos autem fuisse, qui primò aliquem Magistratum gesturi erant, curare à perito aliquo viro Formam ejus optimè gerendi sibi confici Pompeji exemplo docemur, de quo sic apud Agellium l. 14. c. 7. *Eum Magistratum, Consulatum primum, Pompejus cum initurus foret, quoniam per militiæ tempora, Senatus habendi, consulendique rerum expers humanarum fuit, M. Varronem familiarem suum rogavit, uti Commentarium faceret Isagogicum, ex quo disceret quid facere, dicereque deberet, cum Senatum consuleret.*

Ne-

Neque tantum certi Comitiorum habendorum menses; sed etiam certi in mensibus servati dies, quibus aut ea possent agi, aut agi non liceret. Traditur id apertè ab Ovidio lib. I. Fast.

Nec tamen ignoras variorum jura dierum:
Non habet officium Lucifer omnis idem.

Et post pauca

Est quoque quo Populum jus est includere septis,

id enim est habere Comitia: Septa enim, sivè Ovilia in Campo Martio erant extructa loca, quibus inclusæ Centuriæ ferebant suffragium, ut paulò infra videbimus. Qui dies, eo quod in ipsis haberi Comitia possent, Comitiales dicebantur: Cic. lib. 2. ad Q. Fr. epist. 12.: *Comitialibus diebus, qui Quirinalia sequuntur*, [ea sunt ludi, qui in Romuli honorem quotannis Februario mense ad Kal. Martii celebrabantur: qui etiam Stultorum Feriæ dictæ, ut inter cæteros scribit Paulus Diaconus apud Rosinum lib.4. c.16. Antiq. Rom., quod eo die intermissa per errorem, aut incuriam Sacra Fornacalia, peragi solebant]

Ap-

Appius interpretatur non impediri se lege Papia; & eodem lib. ep. 2. *Consecuti sunt dies Comitiales, per quos Senatus haberi non poterat.* Et Varro lib. 5. de Lingua Latina, *Comitiales*, inquit, *dies dicti, quod tunc esset Populus constitutus ad suffragium ferendum, nisi quæ Feriæ conceptæ essent, propter quas non liceret.* Quod discrimen dierum, quibus haberi Comitia poterant, ab iis quibus habere nefas erat, his etiam Plautus testatur in Poenulo:

Nam iterum nullus nefastus est, Comitiales sunt meri.

Nefasti enim dies illi dicebantur, quibus agere cum Populo non licebat. Undè in 1. Fast. Ovidius:

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur.

Nempe, in quibus tria verba solemnia DO, DICO, ADDICO à Prætore dici non poterant. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 16.: *Fasti* (dies) *sunt, quibus licet fari Prætori tria verba solemnia* DO, DICO, ADDICO. *His contrarii sunt Nefasti. Comitiales sunt, quibus cum Populo agi licet.* Quot autem per annum Comitiales dies essent, quibus haberi Comitia,

&

& agere cum Populo liceret, Rosinus ait fuisse CLXXXIV.

His autem de loco, & tempore Comitiorum Centuriatorum expositis, reliqua quæ sunt proposita, persequamur: & primum quid antè, ut legitimè haberentur, fieri oportebat. In primis autem, ut observant Romanæ Antiquitatis Studiosi, Senatus Autoritas necessaria erat, ut Comitia indici, haberique possent. Cum enim ab initio Patrum authoritate gesta in Comitiis confirmarentur; quoniam id Populi potestate grave videbatur, si Senatus acta per eum retractare posset, processu temporis id jus illi ademptum per legem à Dictatore P. Philone latam, qua sancivit, ut Patres exinde fierent autores de rebus, quæ Comitiis agendæ erant. Colligitur id ex Liv. lib. 8., ubi sic ait: *Dictator Popularis, & orationibus in Patres criminosis fuit, & quod tres leges secundissimas Plebi, adversas Nobilitati tulit; unam, ut Plebiscita omnes Quirites tenerent: alteram ut legum, quæ Comitiis Centuriatis foventur, ante initum suffragium autores fierent, &c.* Quod idem de imminuto Patrum jure super Comitiorum actiones tradit Cicero

cero in Orat. pro Plancio : *Hunc tantum disputo de jure Populi, qui & potest, & solet non numquam dignos præterire : nec si à Populo præteritus est, quem non oportuit, à Judicibus condemnandus est, qui præteritus non est; nam si ità esset, quod Patres apud Majores nostros tenere non potuerunt, ut reprehensores essent Comitiorum, id haberent Judices. Tum enim Magistratum non gerebat is, qui cæperat, si Patres autores non erant facti.* Quod jus post Romuli mortem sibi Patres usurpaverant, cum de novi Regis creatione ageretur : *Decreverunt*, inquit Liv. l. 1.; *ut cum Populus Regem jussisset, id sic ratum esset, si Patres autores fierent* (hoc est si electionem à Populo factam Senatus confirmaret; quod erat reprehensorem esse Comitiorum, ut Cicero nuper ajebat) *hodieque in legibus, Magistratibusque regendis usurpatur idem jus vi adempta, priusquam Populus suffragium ineat, in incertum Comitiorum eventum, Patres autores fiunt.* Hæc Livius. Quam Patrum potestatem, suis temporibus, ait Livius sine vi fuisse, cum scilicet vim omnem autoritatis Senatoris Lex Publilia, de qua paulò ante, ademisset; eam-

eamque in Populum transtulisset. Cum enim id antea ratum esset ex Populi jussis, quod autoritate sua Patres comprobassent, deinceps ea lege factum, ut id ratum foret, quod autoritate sua à Patribus Populo ostensum, Populus jussisset, & comprobasset.

Necessariam fuisse hanc Senatus autoritatem ante Populi jussa, illud etiam ostendit, quod narrat Appianus l. 1. Civil., ubi ait, Syllam tulisse legem, ne quid ad Populum ferretur, quod priùs decreto Senatus sancitum non esset: additque, id etiam veteri lege cautum fuisse. Undè nihil in Romana Historia frequentius, quàm aliquid autoribus Patribus ad Populum latum. Sic apud Liv. lib. 8. *Itaque, & in Senatu causam obtinuere, & ex authoritate Patrum, latum ad Populum est, ut Privernatibus Civitas daretur;* itaque ut nos patria lingua diceremus: *Il Senato aveva la proposta*. Quoties ergo Comitia indicenda essent, Patres Senatus consulto id jubebant, ut ex Liv. pluribus in locis colligitur. Sic lib. 8. *Cum se Dictatura abdicare vellet, Papirius Cursor, jussu Patrum, priusquam abdica-*

dicaret, Consules creavit: & lib. 22. *Ab eodem Prætore ex S. C. literæ ad Consules missæ, ut, si iis videretur, alter eorum ad Consules creandos Romam veniret: se in eam diem, qua jussissent, Comitia edicturum:* & lib. 26. *Jam fermè in exitu annus erat: itaque Senatus Romæ decrevit, ut P. Cornelius Prætor literas Capuam ad Consules mitteret, ut alter eorum, si ita videretur, ad Magistratus subrogandos Romam veniret.* Et sexcenties alibi, præcipuè verò lib. 43. *Propter quæ veriti Patres, ne quæ major ignominia acciperetur, decreverunt, ut A. Hostilius Consul Comitia Consulibus subrogandis ita ediceret, ut mense Januario Comitia haberi possent*: apertiùsque l. 44. *Itaque Senatusconsultum factum est, ut Cn. Servilius primo quoque tempore ad Comitia habenda veniret.*

Cum ergo Patres autores fuissent, hoc est, Senatusconsulto haberi Comitia jussissent, à Consulibus, vel si Consules absentes essent, à Prætore proponebatur edictum, quo Populus ad Comitia evocabatur, & die habenda, quo Consul jussisset. Liquet primum horum ex Agell. lib. 13. c. 14. *In Edicto Consulum, quo edicunt, quis*

 dies

dies Comitiis Centuriatis futurus sit. Alterum verò ex Liv. l. 22., apud quem Emilius Prætor scripsit Consulibus, *se in eam diem Comitia edicturum, qua ipsi jussissent*. Quod edictum per plures dies publicè pendebat, siquidem Populus etiam in agris habitans ad Comitia venturus esset: quod non nisi per Nundinarum dies fiebat; hoc est nono quoque die. Nam, ut scribit Macrob. l. 1. Satur. c. 16. *Nundinæ Feriæ Paganorum erant, idest Rusticorum, quibus in Urbem conveniebant, negociis propriis, vel mercibus provisuri*. Quidam autem à Romulo institutas Nundinas tradunt; alii à Ser. Tullio; alii demum exactis Regibus, ut apud eumdem Macrobium constat. Quicumque autem illas ordinaverit, id certum est, ad Populi rustici commoditatem ordinatas fuisse: undè & Plin. l. 18. c. 3. *Rusticæ Tribus laudatissimæ eorum, qui rura haberent; Urbanæ verò, in quas transferri ignominiæ esset, desidiæ probro. Itaque quatuor solæ erant à partibus Urbis in queis habitabant, Suburrana, Palatina, Collina, Esquilina. Nundinis Urbem revisitabant; & ideò Comitia Nundinis haberi non licebat, ne Plebs Rustica avocaretur*.

Ut

Ut igitur Populus Rusticarum Tribuum ad Comitia frequentia conveniret, meliùsque nosset, quo die habenda essent, ordinariè proponebatur Comitiorum Edictum (sive ad rogandos Magistratus, sive ad Leges ferendas, aut exercenda Judicia convocarentur.) Tribus Nundinis ante, ut ex Rutilio scribit adducto loco Macrobius, qui ait, *Romanos instituisse Nundinas, ut octo diebus in agris Rustici opus facerent, nono autem die, intermisso rure, ad mercatum, Legesque accipiendas Romam venirent: & ut Scita, atque Consulta, frequentiore Populo referrentur: quæ Trinundino die proposita, à singulis, atque universis facilè noscebantur: undè etiam mos tractus, ut leges Trinundino die promulgarentur.* Quem de legibus in Trinundinum promulgandis morem lege Cæcilia, & Didia inductum, autor est Cicero Philipp. 5. inquiens: *Num etiam hanc legem Populus accepit? quid? promulgata fuit? quid? non ante lata, quàm scripta? ubi lex Cæcilia, & Didia? ubi promulgatio Trinundinum?* Quod non tantùm in legibus Centuriatis servatum, sed etiam Curiatis: undè idem Magnus

Orator Orat. pro Domo sua: *Hora nona, illo ipso die, tu adoptatus. Si quod in cæteris legibus Trinundinum esse oportet, id in adoptione satis est trium eße horarum, nihil reprehendo. Sin eadem observanda sunt, decrevit Senatus M. Drusi legibus, quæ contra legem Cæciliam, & Didium latæ eßent, Populum non teneri.* Nec legibus tantum ferendis, sed & agendis Judiciis Comitia per Trinundinum indicebantur: undè Dionis. *Dies*, inquit, *à Tribuno Plebis Marcio Reo ad causam dicendam Tertiæ Nundinæ præfinitæ.* Et Cicero in Orat. pro Domo *Moderata Populi Judicia sunt à Majoribus constituta; primùm ut ne pœna capitis cum pecunia conjungatur: deinde ne nisi prædicta die quis accusetur: ut ter ante Magistratus accuset, intermissa die, quàm multam irroget, aut judicet: quarta sit accusatio Trinundinum prædicta die, qua judicium futurum sit.*

Morem hunc indicendi Comitia per Trinundinum, etiam in creatione Magistratuum servatum ex Liv. constat lib.3., ubi sic ait: *Postquam verò Comitia Decemviris creandis in Trinundinum indicta sunt.* Illud etiam videtur, ad hanc rem facere, quod scri-

ſcribit Macrob. loc. cit. *Ea re*, inquit, *etiam Candidatis uſus fuit; in Comitium Nundinis venire, & in colle conſiſtere, undè coram poſſent ob univerſis videri*: Quibus verbis ſignificari videtur etiam Comitia Magiſtratuum per Nundinarum ſpatia indicta fuiſſe. Siquidem ait, à Canditatis Nundinarum diebus in publicum procedi ſolitum, quo ſe Populo oſtentarent, & tacita commendatione, proximis Comitiis, Populi ad Nundinas frequenter convenientis ambirent ſuffragia. Quod tamen tranquillis Reip. temporibus, & nullo alio impedimento obſiſtente factum. Nam in ipſo Punici Belli fervore, quoniam celeritate opus erat, hanc Trinundinum prolationem minimè ſervatam fuiſſe, autor eſt Liv. lib. 22., ubi de Q. Fabio Dictatore, *Inde*, inquit, *Romam Comitiorum cauſa veniens, in eum, quem primum diem Comitialem habuit, Comitia edixit, atque ex itinere, præter Urbem in Campum deſcendit*: & lib. 24. ait idem factum à Dictatore Claudio Centhone, iiſdem Pœnis Bello rem Romanam urgentibus: *Dictator primo Comitiali die creavit Conſules*.

Nequidem hæc Trinundinum ſpatia ſervata, quo tempore per Interregem Comitia haberentur: Siquidem interdum à ſecundo, vel tertio Interrege Magiſtratus creatos reperimus, ut ſupra viſum eſt. At cum Interregis poteſtas quintum diem non excederet, apertè liquet, nec Trinundinum ſpatia inter edicta, ac celebrata Comitia intercedere potuiſſe.

Quoniam verò Romani admodum Religionum ſuarum, uſque ad anilem, ac propriè ridiculam ſuperſtitionem, obſervatores fuere; quod etiam in minimis rebus diligenter carebant, ut omnia ſcilicet auſpicatò fierent, in re maxima, qualis erat Comitiorum celebratio, non neglexere. Nam ante omnia, ut ritè haberentur Comitia, Deorum voluntas per Auſpiciorum obſervationem captabatur: quod fiebat vel ſignum aliquod è Cœlo ſervando; vel aves, ſiquidem ea præſtarent, quæ boni alicujus eventus indicia putabantur, inſpiciendo. Præcipuè autem haberi Comitia nefas erat Cælo tonante. Undè etiam jam congregata, fulgure aliquo interveniente, dirimebantur. Tradit id Cicero lib. 2. de Divin. *In noſtris Commen-*

mentariis scriptum habemus, *Jove tonante*, *fulgurante*, *Comitia Populi habere nefas* : cum tamen fulmen in rebus cæteris boni ominis haberetur. Et Cicero idem Philipp. 5. leges Antonii carpit, velut contra auspicia latas, Cælo videlicet tonante. Ait enim : *Quæ porro illa Tonitrua? quæ tempestas? ut ii auspicia M. Antonium non moverent, sustinere tamen eum, ac ferre posse tantam vim tempestatis, imbris, ac turbinum, mirum videretur : quam legem igitur te Augur dicit tulisse, non modò tonante Jove, sed propè cælesti clamore prohibente, hanc dubitabit contra auspicia latam confiteri?* Et apud Appianum lib. 1. Civil. sic legimus : *Tandem rediit*, (Carbo Consul) *& de creatione Consulis proposuit. Die infami habita, aliam præscripsit : in qua cum Lunæ, & Cereris ædes de Cælo tactæ dicerentur, Vates ad æstivas conversiones Comitia differenda esse pronunciant.*

Ne autem, ut sæpiùs accidere poterat, per ambitiosorum observationes Comitia turbarentur, cautum erat prudentissima lege, ut tantummodò Magistratus majores de Cælo servarent; & siquidem in prosperum

aliquod signum apparuisset, id nunciarent; quod cum facerent, obnunciare dicebantur. Tradit id Agellius disertè lib. 13. c. 14. *In edicto*, inquit, *Coss. quo edicunt, qui dies Comitiis Centuriatis futurus sit, scribitur ex vetere forma perpetua, ne quis Magistratus minor de Cælo servare velit.* Quem morem de Cælo servandi per leges Eliam, & Fusiam, quas appellat Cic. *propugnacula, & muros tranquillitatis*, constabilitum; Clodius deinde bonarum omnium in Rep. institutionum eversor, ut liberiùs cuncta ad arbitrium gerere posset, lata lege sustulit, ut scribit Cicero pro Sextio: *Iisdem*, inquit, *Coss. sedentibus, & inspectantibus, lata lex est, ne auspicia valerent, ne quis obnunciaret, nequis legi intercederet.* Quod idem scribit Dio lib. 37. licet eam legem antiquatam deinde fuisse credendum est, nam auspicia valuerunt, & de Cælo servatum, obnunciatumque; etenim cum Cæsar Consulem sibi subrogare vellet; dixit Antonius, ut ei Cicero objicit in 2. Philipp. *Eo te Sacerdotio præditum, ut Comitia auspiciis vel impedire, vel vitare posset.* Ex quo apparet etiam Augures, (Anto-

tonius enim Augur) habuisse potestatem impediendi Comitia.

Verùm hoc inter Consules, aliosque Magistratus Majores, Auguresque discrimen erat : quod Magistratus non tantùm obnunciationem auspiciorum habebant , sed etiam inspectionem : hoc est, non tantum poterant impedire, aut vitiosa pronunciare Comitia, si quid fortè eis signum aliquod improsperum videre, aut observare contigisset ; sed etiam ad eos spectabat de Cælo servare. At verò Augures non id muneris habebant, ut Cælum inspicerent; sed si quid fortè vidissent, denunciabant , eorumque denunciationi parebatur. Didicimus hoc discrimen à Cicerone in 2. Philipp. *Istud, quod te Sacerdotii jure facere posse dixisti, nempe ut impedires Comitia; si Augur non esses, & Consul esses, minus facere potuisses? vide, ne etiam faciliùs. Nos enim, Augures nempe, inter quos etiam Cicero, nunciationem solum habemus; Consules & Reliqui Magistratus etiam spectionem.*

Quæ autem forma esset, aut Magistratus , aut Auguris obnunciantis ex eodem Tullio constat. Etenim sic in eodem Orat. 2. in Anton. *Ecce Dola-*

labellæ Comitiorum dies ; sortitio, prærogativæ ; quiescit ; renunciatur ; tacet; prima classis vocatur, renunciatur ; deinde, ita ut assolet, suffragia. Tum secunda classis, quæ omnia sunt citiùs facta quàm dixi ; confecto negocio, bonus Augur ALIO DIE INQUIT; Qua voce Consulis, vel alterius Magistratus, vel Auguris audita, aut Comitia non habebantur, aut jam incepta dimittebantur.

Tantumque valuit, in animis Romanorum hæc superstitio, ut sæpiùs legamus Consules, aliosque Magistratus abdicasse, quod in eorum creatione aliquid contra auspicia esset commissum. Sic apud Liv. lib. 4. legimus: *Non tamen pro firmato stetit Magistratus ejus jus, quia tertio mense quam inierunt, Augurum decreto, perinde ac vitio creati, honore abiere: quod C. Curtius, qui Comitiis eorum præfuerat, parùm rectè tabernaculum cepisset.* Inter cæteras enim observationes, illud in primis cavebatur, ut Consul, vel qui alius Comitiis præesset, faustis auspiciis locum, in quo Tabernaculum figeretur, caperent. Cum enim hæc Comitia militari more celebrarentur, undè & *Militaria* vi-
di-

dimus jam ab Arnobio appellata, is qui Comitiis præsidebat, tanquam Imperator in exercitu, sedebat in Tabernaculo. Hanc in capiendo Tabernaculi loco superstitionem commemorat etiam Plutarchus in Marcello: *Ti. Sempronius*, inquit, *Consul*, *successores cum designaßet Scipionem Nasicam*, *& C. Marcium*; *postea iis jam in Provinciis profectis*, *ipse Commentarios militares relegens*, *deprehendit à se aliquid patriorum rituum per ignorationem neglectum*. *Id autem erat tale*. *Magistratum*, *cum extra Urbem conducta ad hoc domo*, *aut tabernaculo augurii capiendi gratia consedisset*, *si*, *priùs quàm id esset peractum*, *necessaria aliqua de causa in Urbem redire coactus esset*, *oportebat*, *priori loco relicto*, *aliam conducere*, *indeque augurium petere*. *Id fortè fefellerat Tiberium*, *bisque erat eodem usus tabernaculo cum dictos Coss. crearet*. *Itaque post*, *errore cognito*, *rem ad Senatum detulit*: *Senatus minimè negligendam ratus Consulibus scripsit*, *iique è Provinciis reversi*, *Magistratu se abdicarunt*.

Illud etiam ominosum erat, si quis eorum, qui Comitiis intererant, eo

eo morbo, quem Latini Sacrum, & Herculeum appellant, correptus concidiſſet. Hoc enim ubi acciditſet, ſtatim Comitia diſſolvebantur, in aliumque diem prorogabantur; undè & morbus is ea de cauſa Comitialis appellatus. Sic apud Catonem legimus: *Quod Comitia prohibere ſolet, nec id quidem mihi vitium fuit*; & Serenus Samonicus ſic eum morbum à Comitiorum diremptione deſcribit:

Eſt ſubiti ſpecies morbi, cui nomen ab illo
Quod fieri nobis ſuffragia juſta recuſat:
Sæpe etenim membris atro languore caducis,
Concilium Populi labes horrenda diremit.

Jam ergo ritè omnibus peractis Senatus autoritate exquiſita edicto per Trinundinum propoſito, Comitiali die ſervato, captatis auſpiciis, nec ulla obnunciatione, aliove impedimento interpoſito, tum etiam ſacris quibuſdam legitimis factis, de quibus Dioniſius lib. 7. & 10.; tum demum Magiſtratus, una cum Populo, in Campum Martium veniebat, ibique antequam Populus per Centurias diſtribue-

buereтur, Concionem de ea re, quæ per Populum agenda erat, habebat: & siquidem Comitia Magistratibus creandis indicta essent, solebat is, qui Comitiis præerat, unum, aut alterum ex Candidatis præcipuè commendare, quorum rationem à Populo in suffragatione haberi vellet: aut etiam denunciare ne quempiam eligerent, quoniam aut lege prohiberetur, aut aliàs is esset indignus, cujus ratio haberetur. Constat id sæpè ex Livio. Sic lib.3. legimus, cum Senatus, quoniam Plebs eosdem Tribunos Plebis, qui anno superiori Magistratum gesserant, in annum sequentem refecisset, & ipse ne Plebi cederet, eosdem refici Consules adlaboraret, Consules, qui tunc erant L. Quintius, & C. Claudius, ne rem pessimi exempli, nempe continuationem Magistratus, Reipublicæ semper exitiabilem, suo facto probarent: *Comuniter*, inquit, Livius *edicunt*, *ne quis L. Quintium* (is enim magno favore reficiebatur Consul) *Consulem faceret*, *si quis fecisset*, *se id suffragium non observaturos*. Sic l. 10. Cum Q. Fabius vincere non posset, ne se Populus Consulem reficeret, hac oratione usum apud eundem Populum le-

legimus: *Dei approbent quod agitis, acturique estis, Quirites; cæterum quoniam in me quod vos vultis facturi estis, in Collega sit meæ apud vos gratiæ locus. P. Decium expertum mihi concordi collegio virum, dignum vobis, dignum Parente suo, quæso mecum Consulem faciatis. Justa suffragatio visa: Omnes, quæ supererant Centuriæ, Q. Fabium. P. Decium Consules dixere.* Quanta autem esset in Comitiis autoritas Consulis, per quem illa habebantur, ostendit etiam Fabii Cunctatoris factum: siquidem cum die Comitiorum sors Prerogativæ Juniorum exisset, eaque F. Otacilium, M. Emilium Regillus Consules diceret, Fabius Consul gravissima oratione studia Populi fregit adeò, ut revocatis iterum suffragiis, ipse Fabius IV., & M. Marcellus III. Consules Centuriis cunctis fuerint renunciati.

Qui verò sequtis temporibus, & jam ad Cæsares re traducta, mos in Comitiis servaretur, sic Plinius describit lib. 4. ep. 20. *Supersunt*, inquit, *Senes, ex quibus audire soleo nunc ordinem Comitiorum. Citato nomine Candidati, silentium summum. Dicebat ipse pro se, vitam suam explicabat, testes,* &

& laudatores dabat; vel eum, sub quo militaverat, vel eum, cui quæsta fuerat, vel utrumque si poterat. Addebat quosdam ex suffragatoribus: Illi graviter, & paucis loquebantur; plùs hoc quam preces proderat; nonnumquam Candidatus, aut natales competitionis, aut annos, aut etiam mores arguebat. Audiebat Senatus gravitate Censoria; ita sæpiùs digni quàm gratiosi prævalebant. In quibus toties repetitum Senatus nomen indicat eo tempore jus Comitiorum, non ampliùs apud Populum, sed apud Senatum fuisse, ut infra copiosiùs adnotabimus.

Si autem Comitia ferendis legibus haberentur, licèt jam legis Capita in Trinundinum proposita publicè perpendissent, tamen ne quis ignorantiam pretendere posset, iterum per Præconem alia voce recitabatur, Scriba subjiciente; ut colligitur ex Commentariis Asconii in Cornelium: *Ubi*, inquit, *legis ferundæ dies venit, et Præco, subjiciente Scriba, verba legis recitare Populo cœpit; & Scribam subjicere, & Præconem pronunciare passus non est. Tum Cornelius ipse Codicem legis recitavit.* Hùnc etiam morem testatur Plutarchus in Catone minore: siqui-

ſiquidem, cum Populus de lege, quam Metellus Nepos Tribunus Plebis ferre ſtatuerat, ſuffragia laturus eſſet: *Cum Apparitor*, inquit Plutarchus, *legis tabulam promeret, Cato legere eum non eſt paſſus. Metello etiam eam ſumenti, & recitare incipienti de manibus eripuit; eidem verbis ſuis legem referre abſque tabula conanti, manibus ori injectis, vocem interclusit Thermus.* Ejuſdem conſuetudinis ſpecimen in Appiano lib.1. Civil. habemus, ubi de Graccho legem Agrariam ferente, *Nectu*, inquit, *Scribæ, ut ad Populum legem referat, edicit*; & paulò ſuperius: *Scribam juſſit legem recitare.*

Lege itaque per Præconem, ac Scribam publicè recitata, Conciones habebantur ſuadendæ, vel diſſuadendæ illius cauſa: quemadmodum ex hiſtoriis notiſſimum eſt, & præcipuè conſtat ex pro lege Manilia Oratione: quam Magnus Orator latæ à C. Manilio Tribuno Plebis, de Pompejo ad Mitridaticum Bellum mittendo, legi ſuadendæ, pro Roſtris habuit: cum adverſus eamdem legem, jam Q. Catulus, & Q. Hortenſius Conciones habuiſſent. Ex quo facto conſtat,

ſtat, non ſolum has Conciones habitas, Populo jam in Campo Martio congregato, ſed etiam pro Roſtris, antequam ad ferenda ſuffragia in Campum deſcenderet.

Quæ omnia etiam in Judiciis per Comitia Centuriata actis ſervabantur: ſiquidem ea per legem ad Populum latam fiebant.

Quæ verò cum Populo agendi forma eſſet, tam Comitiis aut Magiſtratuum, aut legum, aut judiciorum cauſa, congregatis communis, jam ſupra inſinuavimus: nempe ROGO VOS, QUIRITES, VELITIS, JUBEATIS, &c. His enim verbis ſolemne erat Magiſtratibus Populum interrogare, ut aliquid ſtatuere ſuffragiis vellet: unde, ut ibi quoque notavimus, Actionibus ad Populum Rogationis inditum nomen.

Quibus ordine peractis, jam demum Populo jam per ſuas Claſſes, atque Centurias diſtributo, ſuffragia inibantur: niſi fortè aut obnunciaret aliquis, aut intercederet. Erat autem interceſſio (quoniam de Obnunciatione jam diximus) paris, vel majoris Magiſtratus, ad invicem oppoſitio: legibuſque Romanis ita conſtitu-

tum erat, ut id demum ratum esset, quod Magistratus ad Populum ferret, nisi alter ejusdem, vel majoris Magistratus honore, insignitus contradiceret, quod intercedere dicebatur meminit hujus legis Cicero lib.3. legibus. *Parere jubet Intercessori lex, quæ nihil præstantius.* Additque causam, cur tanta Intercessioni esset autoritas constituta, ut ei parendum esset utique: adeò ut si novem Tribuni Plebis, exempli causa, aliquid juberent, decimus intercederet, hujus unius contraria sententia cæteris novem prævaleret: nempe quia: *impediri bonam rem meliùs, quàm concedi malam.* Ut scilicet, aliquis saltem esset, qui improbis actionibus obsisteret: licet interdum, & bonas disturbari contigeret. Jus autem Intercessionis fuisse apud parem, vel majorem potestatem, idem Tullius eodem lib. 3. de legibus est autor, ubi hanc recitat antiquam legem: *Par, majorve potestas plus valeto*, videlicet in Intercessione. Hunc suffragii ferendi ordinem, jampridem à vestra curiositate cupidè expectatum, persequamur.

Populo, igitur, Centuriatim distributo, tandem suffragia ferebantur, &

& quidem primis temporibus, ut scribit Dionis. lib.4. hic ordo servabatur. Primùm ad suffragia vocabantur Centuriæ primæ Classis, nempe XVIII. Equitum, & LXXX. Peditum, quæ, quoniam cæteris omnibus Classium aliarum Centuriis plures erant, si consentirent, vincebant: idque ratum erat, quod statuissent. Sin verò aliqua esset inter eos dissentio, deinde secundæ Classis Centuriæ vocabantur: quæ si quoque discreparent, tum tertiæ, ac quartæ, ac demum quintæ Classis Centuriæ ad ineunda suffragia advocabantur, donec tandem XCVII. Centuriæ in unam aliquam sententiam convenirent. Quod si contigeret, ut Centum nonaginta duæ quinque Classium Centuriæ in æquas partes scinderentur, itaut singuli Competitores, vel sententiæ, nonaginta sex Centurias retulissent, tum demum ultima Egenorum Centuria advocabatur, eaque momentum faciebat in eam partem cui accesserat, illamque potiorem altera reddebat: quod tamen, ut inquit, Dionisius, non nisi admodum raro accidebat. Siquidem plerumque prima vocatione absolvebantur Comitia, raròque ad quartam

Classem proveniebatur: Quintaque, & Sexta erant supervacaneæ.

At verò in libera Civitate non nihil hic ordo immutatus. Etenim non ut factum sub Servio, maximi Census Centuriæ primò ad suffragia ferenda vocabantur, sed conjectis in urnam Centuriarum nominibus, quæ prima sorte exisset, ea suffragium primo loco ferebat: eaque Centuria Prærogativa appellabatur: quod scilicet primo loco rogaretur. Colligitur id ex pluribus Livii, & Ciceronis locis, quorum aliquos in gratiam studiosæ Juventutis dabimus. Et quidem fuisse Centuriam aliquam Prærogativam scribit Livius lib. 10. *Nemini dubium erat, quin Q. Fabius omnium consensu destinaretur: eumque & Prærogativa, & primò vocatæ omnes Centuriæ Consulem cum L. Volumnio dicebant*, & lib. 26. *Cum Comitia Consulibus rogandis haberet, Prærogativa Veturia Juniorum (id est Centuriæ nomen) declaravit T. Manlium Torquatum, & T. Octacilium.*

Hanc autem Centuriam, quæ primo loco latura esset suffragium, sorte duci solitum, non minùs apertè ex eodem Livio deprehenditur: nam lib.

lib. 24. sic scribit. *Eo die cum sors Prærogativæ ante Juniorum exisset, eaque T. Otacilium, & M. Emilium Regillum Consules diceret*: & lib. 27. *Galeria Juniorum, quæ sorte Prærogativa erat, Q. Fulvium, & Q. Fabium Consules dixerat*: & Cicero in 2. Philipp. *Ecce Dolabellæ Comitiorum dies; sortitio Prærogativæ quiescit.*

Tanta autem erat Centuriæ Prærogativæ in Comitiis autoritas, ut illud plerumque sequentes statuerent, quod ea sensisset: undè Cicero pro Plancio: *An tandem una Centuria Prærogativa tantum habet autoritatis, ut nemo umquam prior eam tulerit, quin renunciatus sit.* Ex quibus apparet, quanti Candidatorum interesset Centuriæ Prærogativæ in Comitiis habere suffragium. Nec in suffragiis ferendis solum id servatum, ut Centuria aliqua cæteris autoritatis gratia præferretur; sed etiam in ipsa Centuria Prærogativa unus aliquis electus, qui primus ferret suffragium; quod tamen non sorte, sed arbitrio Candidatorum permissum, ut cui vellent in Centuria Prærogativa suffragium primo loco mandarent. Colligo id ex Cicerone Orat. in Pisonem: *Ad eum*, inquit,

quit, *cui primam Comitiis tuis dederas tabulam Prærogativæ;* hoc est is, erga quem tantam benevolentiam ostenderas, ut in iis Comitiis, quibus Consul creatus es, ei dederas, ut primus in Centuria Prærogativa ferret suffragium.

Sicut autem prima Centuria, cui forte datum esset, ut primo loco iniret suffragia, Prærogativa dicebatur, sic cæteræ post eam *Jurevocatæ* appellabantur. Colligitur id ex Liv. lib. 27. *Galeria*, inquit, *Juniorum*, *quæ sorte Prærogativa erat*, *Q. Fulvium*, *& Q. Fabium Consules dixerat. Eodemque Jurevocatæ inclinaßent*, *ni Tribuni Plebis Cajus*, *& L. Arrius se interposuissent*. Quæ verò causa esset, cur eo nomine dicerentur, paulò post aperiemus.

Illud nunc observo, non tantum reperiri in Comitiis Centuriatis nomen Centuriæ Prærogativæ, & Jurevocatarum, sed etiam Tribuum: nam Liv. lib. 5. *Non invitis Patribus*, inquit, *P. Cicinium Calvum*, *Prærogativa Tribunum Militum non petentem*, *potestate Consulari creat*, *qui priusquam renunciaretur*, *Jurevocatis Tribubus*, *permißu Interregis*, *ita verba fecit*,

fecit : & Asconius in 1. Verrinam *Prærogativæ*, inquit, *sunt Tribus, quæ primò suffragium ferunt ante Jurevocatas*. Et nequis ambigere posset Asconium loqui de Comitiis Tributis potiùs, quàm de Centuriatis; subjungit: *Mos, enim, fuerat, quò faciliùs in Comitiis concordia Populi firmaretur, bina omnino de iisdem Candidatis Comitia fieri* : *quorum Tribus primæ, Prærogativæ dicebantur, quod primæ rogarentur quos vellent Consules fieri; secundæ Jurevocatæ, quod in his sequente Populo, ut sæpè contigit, Prærogativarum voluntatem jure omnia complerentur*. De quorum verborum intelligentia admodum inter se digladiati sunt Gruchius lib. de Comitiis, & Sigonius lib. 3. c. 3. de Antiquo Jure Provinciarum : cujus postremi sententiæ adhærens dico, cum, ut supra adnotatum est, ii, qui Centuriatis Comitiis designati essent, iterum Populi voluntatem experiri Comitiis Curiatis deberent : eo more sublato, quoniam bis subire inconstantis, ac mobilis Vulgi judicium, grave nimis videbatur, in locum Comitiorum Curiatorum introductum fuisse, ut is obtineret Magistratum,

 quem

quem Centuriæ, vel Tribus Jurevocatæ, hoc est, secundo loco vocatæ, Prærogativæ Judicium sequentes, elegissent: Ita ut Prærogativæ sententia esset instar primorum Comitiorum, & ei adhærens Jurevocatarum judicium instar secundorum. Quam esse legitimam Asconii mentem, prudens, ac doctus lector satis per se ipse animadvertet.

Cæterùm illud turbat non parùm, cur in iis Comitiis, quæ Populus non Tributim, sed per Classes, Centuriasque celebrabat, mentio Tribuum inducatur, adeò ut etiam Tribus Prærogativa in iis dicatur valuisse. Cui Turbæ nos facilè eximemus, si locum Livii lib. 1. diligenter observabimus: ait enim de Censu à Ser. Tullio instituto loquens: *Nec mirari oportet, hunc ordinem, qui nunc est, post expletas Vet. XXX. Tribus, duplicato earum numero*, (nam sub Servio Tribus fuerunt tantum XIX.; quatuor nempe Urbanæ, cæteræ Rusticæ; quare processu temporis earum numerus ferè duplicatus) *Centuriis Juniorum, Seniorumque, ad institutam à Ser. Tullio Summam non convenire. Quadrifariam enim Urbe divisa* (quatuor Urbanas Tri-

Tribus intelligit: nec tamen ideò Rusticas, de quibus silet, negat eo tempore fuisse) *Regionibus, Collibusque, quæ habitabantur partes, Tribus, eas appellavit, ut ego arbitror à Tributo. Nam ejus quoque æqualiter ex censu conferendi, ab eodem inita ratio est, neque hæ Tribus ad Centuriarum distributionem, numerumque quicquam pertinuere.* Dicit ergo, non esse mirandum, in quo tempore ipse scribebat, amplior esset Centuriarum numerus, quàm fuerit ille, quem Servius instituit. Siquidem Servii tempore nulla ratio Tribuum habita fuit in Centuriis distribuendis, sed tantummodo Census. At verò Tribuum numero aucto, adeò ut ferè duplicaretur antiquarum Tribuum Summa, mutata non nihil est ratio Servii; & Tribus, quæ antea in Centuriarum distributione nullum locum habebant, nec ad eam quicquam pertinebant, considerari coeptæ, auctusque numerus Centuriarum pro numero Tribuum. Cum ergò jam Classes, ac Centuriæ tanquam partes Tribuum considerari cæpissent; nam & Cic. in Orat. pro Plancio sic Centurias appellat cum enim de autoritate Centu-

tu-

turiæ Prærogativæ dixisset, tum subjungit: *Cujus in honore, non unius Tribus pars, sed Comitia tota, Comitiis fuerint prærogata*: ubi certissimè *partem Tribus* Centuriam Prærogativam intelligit:) Cum, inquam, Centuriæ tanquam partes Tribuum spectari cœpissent, indè factum est, ut etiam earum in Comitiis aliqua ratio haberetur. Quare sicuti institutum erat, ut inter Centurias sorte educeretur, quæ primo loco suffragium esset latura, ita etiam Tribum Prærogativam extitisse adducta Scriptorum loca convincunt.

Quantum ergo in re obscura, & plena difficultatis versantes, conjectura consequi possumus, hunc in Comitiis ordinem servatum arbitramur, cum præcipuis Romanæ Antiquitatis Studiosis. Primò igitur Tribuum nomina in urnam, sive situlam conjiciebantur. Tum quæ primò educebatur, ea Tribus Prærogativa dicebatur. Alia deinde subsortitio fiebat, omnesque Centuriæ Tribus Prærogativæ, cujuscumque Classis essent, seu Peditum, seu Equitum, pariter in urnam demittebantur: quæque primò exisset, ea Centuria Prærogativa dicebatur, pri-

primaque suffragium inibat. Et hæc est causa, cur in Comitiis Centuriatis Tribus Prærogativæ, & Jurevocatarum mentio reperiatur.

Quando autem primò fuerit Serviana illa ratio immutata, nihil certi definire possumus. Illud compertum est, id accidisse ante annum Urbis CCCLVII. nam in ejus anni Comitiis primùm legimus nomen Tribuum Jurevocatarum, & Prærogativæ, ut jam ex Livio retulimus. Quare dum idem Livius lib. 1. insinuat Centuriarum numerum auctum, Tribusque ad earumdem divisionem pertinuisse, cum ipsæ Tribus jam duplicatæ numero fuissent, non ità accipiendus est, ut ante plenum Trigintaquinque Tribuum numerum id etiam non contigerit; sed tum maximum fuisse Centuriarum numerum, cum fuit maximus Tribuum numerus. Etenim Tribus non fuerunt XXXV. ante annum Urbis DXII.; jam autem anno 357. Prærogativam, & Jurevocatas legimus Tribus.

Sorte igitur ducta Tribu Prærogativa, & ex ipsa Tribu deinde Centuria Prærogativa, postquam ea suffragium iniisset, tum deinde in cæteris ratio à Servio Rege instituta serva-

vabatur: nam post Prærogativam prima Classis, tum deinde secunda, tertia, aliæque, donec justus haberetur suffragiorum numerus, suo ordine vocabantur. Testatur id Tullius in 2. Philipp. *Ecce Dolabellæ Comitiorum dies: sortitio Prærogativæ: quiescit; renunciatur: tacet, * prima Classis vocatur: deinde, ut assolet, suffragatum secunda Classis vocatur.*

Et primis quidem temporibus, tam in Comitiis Magistratuum, quam Legum, ac Judiciorum Populus viva voce suffragium ferebat. Cum autem ea vocis testificatione imminui libertas videretur, si resciri potuisset quisnam, præcipuè in damnatione, suffragium contra tulisset; aut etiam in damnandis Magistratibus gratiæ, aut invidiæ pateret locus, si constaret, qui nam suffragatus esset, vel refragatus in honore acquirendo; hinc est, admodum sapienter per leges Tabellarias provisum fuisse, ut deinceps, non ampliùs voce, sed tabella suffragia ferrentur. Prima lex Tabellaria lata est à Gabinio Tribuno Plebis, *homine*, ut inquit Cicero lib. 3. de legibus, *ignoto, & sordido*: qui primus ad Populum tulit, ut in mandandis Ma-

Magiſtratibus, Populus Tabella uteretur. Contigit id anno Urbis DCXI. Cn. Piſone, & Popilio Cænate Coſſ. quod ex ipſo Cicerone facilè deprehenditur. Nam paulò poſt ait, legem Caſſiam, & ipſam Tabellariam, biennio poſt latam: atqui lex Caſſia lata eſt Coſſ. Lepido, & Mancino, ut ſcribit Cicero in Bruto, qui Conſules fuerunt anno Urbis DCXIII. Biennio igitur poſt legem Gabinam L. Caſſius, nobilis homo, aliam legem tulit Tabellariam *de Populi judicio*: hoc eſt, ut in Judiciis Populus non ampliùs voce, ſed tabella uteretur. Id ipſum ſcribit in lib. de El. Orator. *Tum L. Caſſius multum potuit, non eloquentia, ſed dicendo tamen; cujus quidem legi Tabellariæ M. Antius Briſo Tri. Plebis diu reſtitit, M. Lepido Conſule adjuvante; quæ res P. Africano vituperationi fuit, quod ejus autoritate de ſententia deductus Briſo putabatur*. Quam legem Africano minore adnitente latam fuiſſe ſcripſit etiam lib. 3. de leg. *Nam Caſſiæ legis culpam Scipio tuus ſuſtinet, quo autore lata eſſe dicitur*. Meminit etiam ejuſdem Caſſiæ legis, qua Populo in Judiciis tabella data eſt, in Orat. pro Cor-

Cornelio, cujus fragmenta extant in Commentariis Asconii Pediani his verbis: *Ponam principium justissimæ libertatis Cassiam, qua lege suffragium, vis, potestasque convaluit.* Quam legem idcirco appellat principium justissimæ libertatis, quòd Populus in Judiciis sine ullo invidiæ, aut inimicitiarum metu, liberè sententiā posset ostendere. Qua mente dixit idem Magnus Orator. 2. de lege Agr. *Tabellam vindicem tacitæ libertatis.* Licet autem Cassia lex tabellam Populo in Judiciis dedisset, tamen exceperat Judicium perduellionis, in quo Populus veteri more voce ferebat suffragium. Quare Cœlius Tribunus Plebis legem tulit, ut etiam in hoc Judicio Populus Tabella voluntatem suam significaret. Utrumque testatur Cic. lib. 3. de leg. *Uno*, inquit, *in genere videbatur relinqui vocis suffragium, quod ipse Cassius exceperat, perduellionis; dedit huic quoque Judicio Cœlius Tabellam.* Quam legem Cœliam Q. Metello T. Flaminio Coss. latam suspicatur Manutius lib. de leg. Romanis; eo quod à Cicerone dicatur Cœlium opprimendi Popillii causa eam legem tulisse: atqui Popillius in exilium iis Consulibus C. Grac.

Graccho adnitente fuit ejectus.

Quoniam verò Populus Comitiis etiam leges statuere consueverat, nequidem in eis sanciendis Tabella defuit. Siquidem Papirii Carbonis lege, sicut Gabinia in Magistratibus mandandis, Cassia in Judiciis Tabellam Populus acceperat, in rogandis legibus tabellam accepit. Narrat id Cicero lib. 3. de legibus: *Carbonis est tertia* (nempe tertia lex Tabellaria; siquidem Cœlia, de qua proximè, aliquantò post Papiriam lata est) *de jubendis legibus, ac vetandis, seditiosi, atque improbi civis*. Quæ lex ab ejusdem Carbonis nomine Papiria dicta est: eamque latam opinatur Manutius P. Popillio, P. Rupilio Coss. eo siquidem anno Carbo gessit Tribunatum.

Cum autem lex Gabinia de creandis per Tabellam Magistratibus, paulatim absolevisset, reditumque esset ad antiquum modum voce ferendi suffragia, sub Trajano Principe per Senatusconsultum revocatus est iterum Tabellæ in Comitiis usus. Utrumque testatur Plinius lib. 3. ep. 20. *Meministi ne*, inquit, *te sæpè legisse quantas contentiones excitarit lex Tabellaria: quantumque ipsi latori, vel gloriæ,*

vel

vel reprehensionis attulerit? At nunc in Senatu sine ulla dissensione hoc quidem, ut optimum placuit, omnes Comitiorum die Tabellas postulaverunt. Excesseramus sanè manifestis illis apertisque suffragiis licentiam concionum; non tempus loquendi, non tacendi modestia, non denique sedendi dignitas custodiebatur. Magni undique, dissonique clamores. Procurrebant omnes cum suis Candidatis: multa agmina in medio, multique circuli, & indecora confusio.

Quando autem id agimus, non erit abs re eam quæstionem tractare, melius ne fuerit palàm, ac voce, apertè ferre suffragia; an verò occulta, ac tacita tabella voluntatem suam significare: in qua quidem quæstione multa occurrunt, quæ in utramque partem disputari possunt. Quod autem attinet ad apertum illum, publicumque suffragandi morem; non est dubium quin manifesta illa sententiæ significatio, excelsi magnique animi, & odia hominum improborum præ amore justitiæ contemnentis, esset indicium. Illud etiam boni, ex aperta illa suffragiorum latione consequebatur, quod homines improbi minorem nocendi facultatem habebant, cum pu-

pudore simul, ac metu, veluti duobus frænis coercerentur. Fuisse autem optimam hanc ferendi suffragii rationem, illud ostendit, quod quatuor hæ Tabellariæ leges à viris, seu sordidis, seu improbis latæ sunt: quia nempe viam conatibus suis perficiendi præclusam videbant, si publicè sententiæ proderentur. Lux enim malorum consiliorum est inimica. Hæc illud objici potest, minus libertatis habuisse publica, quam secreta suffragia: cum multo severiora exercita sint judicia nondum invecta Tabella. Verùm præstat audire Ciceronis de hac re judicium lib. 3. de leg. *Nam*, inquit, *in ista sum sententia, nihil ut fuerit in suffragiis voce melius; quis enim non sentit, autoritatem omnem Optimatum Tabellarum legem sustulisse? quam Populus liber numquam desideravit, idem oppressus dominatu ac potentia Principum flagitavit; itaque graviora judicia de potentissimis hominibus extant vocis, quàm Tabellæ. Quamobrem suffragandi nimia libido in non bonis causis eripuenda fuit Potentibus, non latebra danda Populo; in qua bonis ignorantibus quid quisque sentiret, Tabella vitiosum occultaret suffragium.* Itaque

isti rationi neque lator quisquam est inventus, neque autor umquam bonus. Sunt enim quatuor leges Tabellariæ, Gabinia lata ab homine ignoto, & sordido: Cassia, quæ à nobili homine lata est L. Cassio, sed pace familiæ dixerim, dissidente à bonis, atque omnes rumusculos populari ratione aucupante. Carbonis est tertia seditiosi, atque improbi civis. Uno in genere relinqui videbatur vocis suffragium, quod ipse Cassius exceperat, perduellionis. Dedit huic quoque judicio Cælius tabellam, doluitque quoad vixit. Et in Bruto, idem magnus Orator dicit, legem Cassiam fuisse vituperationi Africano minori, cujus autoritate lata est.

Itaque, ut rationes Ciceronis in arctum colligam, undè apparet, fuisse optimam suffragiorum apertè ferendorum rationem; primò, quia Optimates autoritate, & prudentia sua rudi, atque imperito Vulgo præibant; suaque sententia quid sentiendum esset ostendebant. Secundo, quia donec Respublica pleno libertatis jure fruebatur, Tabellam numquam desideravit. Tertio, quia graviora de Civibus potentioribus judicia per vocem, quam per Tabellam fuere. Quarto, quia lege Ta-

Tabellaria Populo data est latebra, qua maligni, atque perditi cives vitiosa suffragia occultarent. Quinto, quia nullus legum Tabellariarum lator fuit, nisi obscurus, aut improbus. Sexto, quia aliquos ex eis latæ legis cœpit pœnitentia, qualis fuit Cœlius, qui de eo facto, quoad vixit, doluit. Septimo, quia autor unius earum, nempe Scipio Africanus minor, licet tanti in Remp. meriti Civis, nihilominus quod Cassiam legem de Tabella in Judiciis adhibenda, autoritate sua promovisset, vituperationi fuit obnoxius, veluti rem parùm salutarem fovisset.

Nec à Ciceronis judicio dissentit Junior Plinius, non minus eloquens Orator, quàm prudens Senator; sic enim scribit in ep. ad Maximum lib.4. ubi cum dixisset, ad tacita suffragia ab apertis, veluti ad remedia recursum, *Sed vereor*, inquit, *ne procedente tempore, ex ipso remedio vitia nascantur; est enim periculum, ne tacitis suffragiis impudentia irrepat. Nam quotocuique eadem honestatis cura secretò, quæ palàm? Multi famam, conscientiam pauci verentur.* Nec sanè conjectura illum fefellit: siquidem,

hæc idem lib. 5. ep. ad eundem: *Scripſeram*, inquit, *tibi verendum, ne ex tacitis ſuffragiis, vitium aliquod exiſteret; factum eſt proximis Comitiis, in quibuſdam Tabellis multa jocularia, atque etiam fœda dictu, in una verò pro Candidatorum nominibus, Suffragatorum nomina inventa; Excanduit Senatus, magnoque clamore, ei, qui ſcripſiſſet, iratum Principem eſt comprecatus. Ille tamen fefellit, & latuit, & fortaſſe etiam inter indignantes fuit: tantum licentiæ pravis ingeniis adjicit illa fiducia. Quis enim ſciet? popoſcit Tabellas, ſtylum accepit, demiſit caput, neminem veretur, ſe contemnit.*

Contra verò illud ex tacita ſuffragatione boni conſequitur, quod ſine ullo Potentiorum metu, ſine ullo invidiæ ſubeundæ, aut conflandarum ſibi inimicitiarum periculo, liberè, quod quiſque ſentiat, licet aperire: necdum aut potentes offendere, aut amicos timemus, ſervili ſententia eorum cupiditati cogimur famulari. Undè Cicero Tabellam appellavit *Principium juſtiſſimæ libertatis*: & alibi eam appellavit *Vindicem tacitæ libertatis*, ut jam ſuprà adnotavimus. Tanti autem ſapientiſſimi legum latores

res hanc in ferendis suffragiis libertatem fecerunt, ut dum ea constaret, cætera, quæ ex tacita suffragatione provenire poterant, incommoda, præ illius utilitate nullius momenti reputaverint. Undè eum ubique morem invaluisse videmus, ut non tantùm in rerumpublicarum Consiliis, sed etiam in sanctioribus, & ad Religionem spectantibus, tacita ferantur suffragia: novaque quotidiè excogitentur inventa, ut adversùs ingeniosam hominum calliditatem suffragiorum secretum custodiatur. Sic Jure Pontificio sancitur in cap. *Quia propter* De electione, & electi potestate: dicit enim ibi Innocentius III. *Statuimus, ut cum electio fuerit celebranda, præsentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt commodè interesse, assumantur tres de Collegio fide digni, qui secretè, & sigillatim vota* (nempe suffragia, sive sententiam) *cunctorum diligenter exquirant*. Quo loco, ait Glossa secretè vota scrutanda; *quia quidem, fortè timore, vel favore, timent aliquem nominare in publico, quem nominant in secreto: libera enim debet esse voluntas in eligendo*. Adeòque hoc secretum in electio-

ne Canonica necessarium est, ut eo non custodito, illegitima electio censeatur, quemadmodum sentiunt Doctores apud Barbosam in cap. *Quia propter*: & apud Fagnan. in idem cap. atque ita judicavit Rota Romana in Treverensi in causa Abbatiæ; adeò ut, etiam si unus ex Suffragatoribus Tabellam suam alteri tantum ostenderit, irrita censeatur electio: dummodò ex ea ostensione, vel sequuta fuerit, vel præsumatur sequuta, potiùs in unam, quam in aliam partem electio. Quo casu ea suffragia non debent cum aliis numerari, ut notant Navarrus hic consil. 4., & Emanuel Rodericus tom. 1. Summæ cap. 102. n. 4.

Sic etiam in omnibus publicis Consiliis secretè feruntur suffragia; & ut ajebam, quotidie nova excogitantur inventa adversùs hominum malitiam, in tacitam hanc suffragiorum libertatem per indicia, & conjecturas irrumpere tentantem. Sic in nostra Republica, aliarum exemplo, ex duabus Urnis suffragiorum, quo liberiùs, occultiùsque ferantur à Senatoribus suffragia, una tantum effecta; in quam manus ita inseratur, ut nemo curiosis ocu-

oculis explorare poſſit, ater, an albus calculus, in hanc potius, vel illam Urnæ partem demittatur. Quin, & in Veneta Republica calculi ſuffragiorum, non ex ære, & ſtamno, ſed ex linteis fragminibus conficiuntur, ne ex diverſo inter decidendum ſono, quem ea diverſa metalla reddunt, deprehendi poſſit, albi ne in partem atram, an atri in albam Urnæ partem dejiciantur. Contra quam curioſorum calliditatem in cæteris Conſiliis ea cautio adhibetur, ut Urnæ intus molli materia ſternantur, quæ ſonum decidentis calculi hebetet, atque obtundat: adeò neceſſarium publico bono cenſetur ſuffragiorum ſecretum. Cum enim malitia pravorum hominum in tantum excreverit, has artes adhibere opus fuit, ut jus ſuum libertas retineret.

Quapropter hunc tam receptum, tam publicum, tam, ut nunc homines ſunt, neceſſarium taciti ſuffragii morem improbare non auſim, ne ſolus in tot graviſſimorum hominum, imò & Urbium, atque Regnorum, aliter ſentientium, multitudine ſapere videar. Cum nedum ratione, quæ juſtiſſima, & graviſſima eſt, ſed auto-

ritate etiam obrui poſſim. Verùm, ſi quod ſentio, liberè aperire liceat, momentis utriuſque partis attentè exploratis, utroſque ſapienter feciſſe exiſtimo, & qui aperta, & qui tacita ſuffragia ferenda cenſuerunt: quippe utrique temporum habuere rationem, qua immutata, etiam immutari oportuit morem ſuffragandi: quemadmodum in plerisque conſiliis evenire ſolet, quæ ſecundum ea, quæ incidunt tempora, ipſa quoque etiam in partem contrariam convertuntur.

Quo enim tempore, propria illa hominis virtus, inter homines ſinceritas, veritaſque valebat, ſecurum fuit liberè, & apertè ſententiam animi ſignificare; cauſæ juſtitiam, nulla hominum ratione habita, tantum attendere: dumque id, quod rectum, juſtumque eſſet, ſtatueretur, cætera nihil penſi habere. At verò poſtquam, veluti publicum malum, ſimulatio genus humanum pervaſit; poſtquam frontis nulla fides, ſed parvi, magnique callidè conſilia ſua tegere; aliud animo, aliud vultu præferre; omnia, non publica, ſed ſua utilitate metiri; plurimum ſpei, multum timori tribuere; libertas quoque animorum infracta,

cta, atque imminuta eſt : nec tuta res fuit libera in poſterum voce uti; ſed ad vitandas hominum potentiorum offenſiones, declinamdamque invidiam, tum etiam ne dum quis Juſtitiæ conſulit, ſuas rationes domeſticas perturbaret; id excogitatum, ut occultè ſenſus animi proderentur.

Quarè, ſicut illa optanda potiùs, quàm ſperanda tempora, quibus licebat aperta fronte incedere; ſic iſta qualiacumque toleranda, laudandique veteres anni, ut ajebat magnus Poeta, ſed noſtris utendum.

Sed ut jam redeamus in ſpatium, formula ſuffragandi hæc erat. Quo tempore nondum erat Tabellarum uſus, Rogatores, quibus id munus, ſingulos rogabant, an illi, vel illi mandare Magiſtratum vellent; an eam legem probare; an illum, vel illum damnare; & ſiquidem is qui rogabatur approbaret id, de quo à Rogatore requirebatur, clara voce dicebat: *Uti rogas*. At verò ſi contra ſentiret, reſpondebat: *Antiquo*: quæ verba, poſt Tabellarum uſum, eis inſcripta fuiſſe, autor eſt Cicero lib. 1. epiſt. ad Atticum, ut jam ſupra adnotavimus. At in Comitiis Magiſtratuum

tot

tot Tabellæ cuique dabantur, quot Candidati erant, eorum nominibus inſcriptæ: Capitali tantum litera brevitatis cauſa adnotata; ut colligitur ex Tullio in Orat. pro Domo.

Quæ Tabellæ non domo afferebantur à Populo, ſed in ipſo Comitiorum loco à quibuſdam ad id munus electis diſtribuebantur. Teſtatur id Cicero in ep. lib. 1. ad Atticum: *Tabellæ miniſtrabantur, ita ut nulla daretur: Uti rogas*. Qui verò diſtribuebant hujuſmodi Tabellas, Diribitores appellabantur. Sic Cicero in Orat. poſt reditum in Sen. *Quando illa dignitate Rogatores, Diribitores, Cuſtodeſque vidiſtis?* & in Orat. in Piſonem. *Hoc certè video, vos Rogatores, vos Diribitores, vos Cuſtodes fuiſſe Tabellarum*. Utrobique autem loquitur de lege Comitiis Centuriatis lata de revocatione ipſius ab exilio.

At verò poſtquam Comitia è Campo in Senatum translata ſunt, Tabellas ſinguli Senatores in loco ab arbitris remoto inſcribebant, ut ex Plinio ſuperiùs allato jam cognovimus.

Ubi ergo ſuffragiorum tempus ad.

adesset, Centuria Prærogativa à Magistratu per Præconem citabatur, atque aliæ deinde eo, quo superiùs ordine diximus. Non enim accessisse nisi vocatas ad suffragium ferendum ex Livio constat. Sic enim lib. 10. *Populus nihilominus suffragia inibat : & ut quæque intrò vocata erat Centuria, Consulem, haud dubiè Fabium dicebat*, & lib. 26. *Tum Veturia, & autoritate mota viri, & admirattum circa fremitu, petit à Consule, ut Veturiam Seniorum citaret. Velle se se cum majoribus natu colloqui, &c.*

Centuria autem vocata, è loco suo, discedebat in spatium quoddam prope Tribunal Consulis, vel alterius Magistratus habentis Comitia, tabulis, cancellisque circumseptum, quod Septa dicebatur, & Ovile à similitudine ejus spatii, quo Pastores Oves includunt. Fuisse autem hujusmodi locum in Campo Martio, eo nomine dictum, talique muneri destinatum, testatur inter cæteros Servius ad illud Virgilii Ecl. 1.

Quamvis multa meis exiret victima septis.

ait enim : *Septa proprie sunt loca in Campo Martio, inclusa tabulatis, in qui-*

quibus stans Populus Romanus suffragia ferre consueverat. Sed quoniam hæc septa similia sunt ovilibus, duo hæc invicem pro se ponuntur. Quæ septa ex lignis marmorea Cæsar efficere cogitavit. Ut Cic. lib. 4. ad Attic. ep. 17. *Nam in Campo Martio septa Tributitiis Comitiis marmorea sumus, & tecta facturi, eaque cingemus excelsa porticu, ut mille passuum conficiatur. Simul adjungetur huic operi Villa etiam publica.*

De iisdem septis loquitur Ovidius lib. 1. Fast.

Est quoque quo Populum fas est includere septis;

eaque intelligit Lucanus lib. 1.

Et miseræ maculavit Ovilia Romæ;

nec non Juvenalis Sat. 6.

Ameroe portabit aquas, quas spargat in æde
Isidis, antiqua quæ proxima surgit Ovili.

Et signatè de hac suffragiorum in Ovili latione loquitur Liv. lib. 26. *Citatis Veturiæ Senioribus datum secretò in Ovili colloquendi tempus. Senioribus dimissis, Juniores suffragium ineunt, &c.* idque etiam iis verbis paulò ante significaverat: *Et ut quæque in-*

intro vocata erat Centuria, &c. nempe intra Septum, seu Ovile.

Quoniam verò hujusmodi Septa in modum Amphiteatri constructa erant, in iis interdum ludi Populo, & spectacula exhibita. Sic legimus apud Suetonium cap. 18. de Caligula: *Munera*, hoc est spectacula, *Gladiatoria, partim in Amphiteatro Tauri, partim in Septis, aliquot edidit.* Pariterque in vita Claudii c. 21. de illo Principe scribit, eum dedisse *anniversarium in castris Prætorianis sine venatione, apparatuque, justum & legitimum in Septis munus.* Nec non idem à Nerone factum testatur c. 12. *Gymnica*, inquit, *quod in Septis dabat, inter Buthysiæ apparatum, barbam primò posuit.* Ubi obiter noto magna solemnitate Romanos consuevisse primam barbam in signum initæ virilitatis ponere. Dio lib. 48. sic de Ottaviano Augusto: *Cæsar tum primùm barbam radens, & ipse diem cum planè festum habuit, & aliis publicam festivitatem indixit.* Quin & munera ad barbam reddendam dari solita, notat ex Ammiano Lipsius ad 14. Annal. Taciti: Barba autem sic primò rasa, alicui Deo sacrabatur. Testis Sue-

Suetonius in Nerone *Barbam*, inquit, *primam posuit*, *conditamque in auream pixidem*, *& prætiosissimis margaritis adornatam*, *in Capitolio consecravit*. Quæ ponendæ barbæ solemnitas adeò vulgata erat, ut idem Suetonius pro magno notaverit, id sine ulla celebritate à Caligula peractum. *Unde vigesimo*, inquit, *ætatis anno accitus Capreas à Tiberio*, *uno eodemque die Togam sumpsit*, *barbamque posuit sine ullo honore*. Sed hæc parergi loco sint dicta; jam ad suffragia revertamur.

Ad hoc igitur Septum, aut Ovile ducebant angustæ quædam viæ, tabulis à terra in similitudinem Pontium superiùs compactæ. De his Pontibus sunt illa Scriptoris Rethoricæ ad Heren. lib. 1. *Cæpio*, *ut illum contra Senatusconsultum*, *intercedentibus Collegis*, *adversus Remp. vidit ferre*, *cum viris bonis impetum facit*, *Pontes disturbat*, *cistas dejicit*, *impedimento est*, *quominus feratur lex*. In his Pontibus ad sollicitandos animos Populi, ut in eam, quam vellent, partem, suffragia converteret, stare solebant plerumque ii, quorum intereat: interdumque etiam vim adhibebant, & quos adversarios putabant fore, tumul-

multu excitato, ab Ovilis ingressu prohibebant. Indicat hanc vim Tullius lib. 1. ad Attic. ep. 12., ubi de lege quadam ad Populum ferenda: *Operæ Clodianæ Pontes occupaverant; tabellæ ministrabantur, itaut nulla daretur: uti rogas*. Cui malo ut occurreret C. Marius, legem tulit, ut deinceps Pontes anguſtiores fierent, ut in iis ſcilicet turba fraudibus, & vi apta non poſſet conſiſtere. Meminit ejus legis Cicero lib. 3. de legibus. *Pontes*, inquit, *etiam lex Maria fecit anguſtos*. Quam legem ſignificat Plutarchus in Mario illis verbis: *In Tribunatu legem de ſuffragiis tulit, qua Potentium opes, tum in ferendis ſuffragiis, tum in creandis Magiſtratibus imminuit*. Hac enim lege ambitioſis aditum præcluſit fraudes, & vim adhibendi, cum propter anguſtiam Pontium pauci illis poſſent inſiſtere; atqui earum rerum utraque multitudinem deſiderat.

Illud in his Pontibus ridiculum accidebat, quòd cum Senex ultra ſexageſimum annum ad ſuffragia ferenda per Pontem in ſepta tranſiret, à Populo laſciviente exclamari ſolebat *Sexagenarius de Ponte*: quibus ſignificabat Senes, tamquam Reip., & ne-

go-

gociis gerendis ineptos, è Pontibus præcipitandos; hoc est à suffragiis excludendos. Indicat hanc Vulgi petulantiam in Comitiis Ovid. lib. 5. Fastor.

Pars putat, ut ferrent Juvenes suffragia soli,
Pontibus infirmos præcipitare Senes:
eoque respicit jocus Ciceronis in T. Roscium, qui nescio quem in Tiberim è Ponte dejecerat. Sic enim ludit in Orat. pro Sex. Roscio: *Habeo etiam dicere, quem contra morem Majorum, minorem annis sexaginta, de Ponte in Tiberim dejecerit*. Ex hujusmodi Pontibus voluerunt conjurati Julium Cæsarem dejicere, ut scribit Suetonius: *Cunctati*, inquit, *utrum ne illum in Campo per Comitia Tribus ad suffragia vocantem, divisis partibus, è Ponte dejicerent, atque exceptum trucidarentur*.

In aditu horum Pontium verisimile est, eos, quos diximus Diribitores stetisse, ad ministrandas Tabellas suffragatoribus; quod colligi videtur ex illo Ciceronis ad Attic. *Operæ Clodianæ Pontes occupaverant; Tabellæ ministrabantur*; in quem locum ait Manutius: *Pontes occuparant Operæ Clo-*

Clodianæ, ut ex iis, quas vellent, tabellas suffragium laturis ministrarent. Qui Manutius eodem loco, & in Commentariis ad Orat. pro Sex. Roscio, putat eos Pontes non fuisse aditus angustos in Ovile, sed mensulas tripedes, quibus suffragiorum cistæ imponi solebant; quod videtur firmari ex illo Scriptoris ad Herennium lib. 1. *Pontes disturbat, cistas dejicit*: de quo non valde laboro, dum id ratum maneat, hos Pontes in Comitiis fuisse ad usum suffragiorum.

Cum igitur per Pontes in Ovile Suffragatores transissent, demittebant tabellam, quam vellent, in Cistam ei muneri destinatam; & quidem suffragia in Cistas dejici solitum, præter adductum Scriptoris ad Herennium, testimonium, colligitur etiam ex Plinio lib. 33. c. 2., ubi de Equitibus Romanis, sic loquitur: *Præter etiamnum nongenti vocabantur ex omnibus selecti ad custodiendas Cistas suffragiorum in Comitiis*. Ex quibus Plinii verbis ille mos etiam firmatur, appositos Cistis ad suffragia tuenda, ne qua fraus committeretur, Custodes. Quod etiam Cic. indicavit in Orat. in Pisonem: *Vos Diribitores, vos Cu-*

 sto-

stodes : & in Orat. post Reditum in Sen. *Quando illa dignitate Rogatores, Diribitores, Custodesque vidistis*.

Horum Custodum præcipuum munus erat Tabellas dirimere, hoc est, ad invicem separare, atque in Tabula adnotare numerum affirmantium, negantiumque; ut deinde ea Centuriæ sententia renunciaretur, in quam plures Tabellæ consentire reperiebantur. De qua suffragiorum discretione, sic Varro lib. 3. de re Rustica. *Comitiis Ædilitiis, cum Sole caldo, ego atque Axius Senator Tribulis suffragium tulissemus, & Candidato, cui studebamus, vellemus esse præsto cum domum rediret, Axius mihi, dum diriguntur, inquit, suffragia, vis potiùs villæ publicæ utamur umbra, quàm privati Candidati Tabula dimidiata domificemus nobis?* Ut legit Lipsius ad ep. 118. Senecæ in quibus vox *dirimuntur* ad suffragiorum secretionem pertinet. Quam retinendam contra novitiorum librorum corruptas emendationes, in quibus pro *dirimuntur* legitur *diribentur*, vetustiora, & cum eis Viri docti monent exemplaria.

Quamquam ex his Varronis, agnosco alium in Comitiis morem cum Sca-

Scaligero in Notis ad lib. 3. de Re rust., nempe extrui solita in Campo Martio, tempore Comitiorum, ad arcendum imbrem, solemque, tabernacula quædam ad tempus; Candidatosque solitos fuisse intra suum fautores suos recipere: illud enim significat Varro, dum ait, melius esse spatiari in umbra Villæ publicæ (quæ Campo Martio apposita erat: in eum usum ædificata, ut in ea Legati Hostium exciperentur, cum eos in Urbem admittere nefas haberetur) quàm manere sub umbra tabulæ dimidiæ, hoc est modici tabernaculi, in Campo à privatis Candidatis extructi. Ad quem morem respexit etiam Seneca ep. 118., ut Lipsius censet: *Quàm putas*, inquit Seneca, *jucundum esse Tribubus vocatis, cum Candidati in Templis suis pendeant*? hoc est, cum Senecæ Campus Martius esset ædificiis, Templisque insessus, Candidati, non sibi, ut ante, parabant Tabernacula ad inumbrandum, sed ad propinqua Templa divertebant, ut Comitiorum eventum expectarent. Sic Lipsius.

Singula autem suffragia singulis punctis notabantur, ut non obscurè ex multis Veterum Testimoniis colli-

gitur. Sic Cic. in Orat. pro Plancio, quæ tota Comitialis est: *An una fieri potuerunt, si una Tribus non tulissent? cum nonnullas punctis penè totidem: quippe cum jam facti, prope superioribus Comitiis, declaratique venissent:* & in Orat. pro Murena: *Admonitus reipsa recordor, quantum hæ quæstiones in Senatu habitæ punctorum nobis detraxerint.* Ad quem morem, ut Cambinus ad eum locum, & Manutius ad Orationes pro Plancio, & pro Murena advertit, respectum est ab Horatio in Arte Poet.

Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.

Nec sine allusione ad eundem Sidonius Apollinaris lib. 1. epist. 9. *Cui si examinis quoque tui puncta tribuantur;* & lib. 3. ep. 14. *Gloriæ punctum, quod dictioni negares, das amicitiæ:* qua loquendi forma utitur etiam lib. 8. ep. 6. & lib. 9. ep. 11. & 16. Idem Sidonius mentionem facit ejusdem moris notandi punctis suffragia in Panegyrico, quem Anthemio Augusto, secundum Consulatum ineunti, Romæ dixit:

.... Te Curia plausu,
Te punctis scripsere Tribus.

Et in Panegyrico, quem Avito eidem Im-

Imperatori, ac Socero dixit:

Non tibi Centurias aurum populare paravit,
Nec modo venales, numerosoque ære redemptæ
Concurrunt ad puncta Tribus.

Cui libet adtexere carmina Veteris Poetæ:

Ciconiarum Rufus ille Conditor
Ipse est duobus elegantior Plancis;
Suffragiorum puncta non tulit septem.

Quorum punctorum inito tandem numero, ea Centuriæ sententia renunciabatur, quæ plura in unam, vel alteram partem retulisset. At si puncta essent æqualia, totidemque Tabellæ *Uti rogas*, & *Antiquo* reperirentur: nulla ejus Centuriæ sententia renunciabatur, præterquam in Judiciis perduellionis, in quibus pars suffragiorum numerus pro reo stabat: absolutusque censebatur reus, qui cum tulisset Centurias, absolventes, condemnantesque pares numero, si una parium suffragiorum Centuria addita fuisset, quæ inter absolventes computabatur, ut scribit Dionis. lib. 7.

At in suffragiis Candidatorum illa Centuriæ sententia renunciabatur, in quam convenirent plures Tabellæ

idem Candidati nomen habentes: quod si plures Candidati æqualia puncta in una Centuria retulissent, ejus Centuriæ nulla sententia renunciabatur, nisi fortasse sorti res commissa: quemadmodum videtur innuere Cic. in Orat. pro Plancio: *Neque enim*, inquit, *Majores nostri Sortionem Ædilitiam constituissent, nisi viderent accidere posse, ut Competitores pares suffragiis essent.*

Ille ergo tandem in Comitiis electus censebatur, qui plures, vel omnes Centurias tulisset: quod postremum, non nisi raro, & magnis, clarisque viris contigit. Hoc populi favore creatus fuit, Consul M. Marcellus Syracusarum expugnator, ut scribit Liv. lib. 27. *Hanc*, inquit, *Tribuni Orationem* (*qui eum nempe ad Populum accusaverat*) *ita obruit Marcellus, ut non solum rogatio de Imperio ejus abrogando Antiquaretur; sed postremo die ingenti consensu Consulem eum Centuriæ omnes crearent.* Eodem consensu Consulatum accepit Scipio, qui deinde Africanus dictus est: *Comitia inde*, inquit Liv. lib.28. *Creandis Consulibus habuit L. Veturius Philo, Centuriæque omnes ingenti favore P.* Sci-

Scipionem Consulem dixerunt. Nec minori studio illi antea, quamquam vigesimum quintum ætatis annum agenti, Provinciam Hispaniam Populus mandaverat: *Jussi deinde*, scripsit Liv. lib. 26. *intre Suffragium, ad unum omnes non Centuriæ modò, sed etiam homines, P. Scipioni Imperium esse in Hispania jusserunt*. Qui favor etiam maximo Oratori, tum in adipiscenda Prætura, ut ipse in hac Orat. testatur, quamquam ter Comitiis iteratis, tum in Consulatu contigit: undè ipse idem gloriatur in Pis. *Me cuncta Italia, me omnes Ordines, me universa Civitas, non priùs Tabella, quam voce, priorem Consulem declaravit*: quod etiam confirmat Asconius in Comment. ad Orat. in Toga Candida, quam scilicet habuit Cicero in ipso Campo Martio: *Cicero*, inquit, *Consul omnium consensu factus est: Antonius pauculis Centuriis Catilinam superavit*. In qua electione illud etiam fuit Ciceroni gloriosum, quod Populus favorem suum Tabella non texit, sed publica voce, contra tot Patricios Competitores eum Consulem declaravit, ut ipse Orat. in Pisonem testatur; & in 2. de lege Agraria, ubi

 sic

ſic ait: *Sed tamen magnificentius, atque ornatius eſſe illo nihil poteſt, quod meis Comitiis, non Tabellam vindicem tacitæ libertatis, ſed vocem vivam præ vobis, indicem veſtrarum erga me voluntatum, ac ſtudiorum tuliſtis.*

Cum verò ſuffragia inter multos Competitores dividerentur, is renunciabatur, qui plures aliis Centurias tuliſſet; quod ſi accideret, ut ſuffragia inter Competitores æqualiter dividerentur, in Ædilium creatione ſorti res committebatur, ut ex Cicerone paulò ante notavimus. Et quidem in Conſulatu videtur quidam certus numerus Centuriarum requiſitus, quem qui non expleſſet, eum conſequi non poterat. Significat id Livius lib. 36. *Inde Conſularia Comitia magna contentione habita, M. Æmilius Lepidus petebat, adverſa fama hominum; petebant cum eo M. Fulvius Nobilior, Cn. Manlius Vulſo, M. Valerius Meſſalla. Fulvius Conſul unus creatur, cum cæteri Centurias non expleſſent; iſque poſtero die Cn. Manlium Lepido dejecto, nam Meſſalla tacuit, collegam dixit.* Ex quibus ſuſpicari poſſumus, neceſſarium fuiſſe, ut Conſul renunciandus, non tantum plures

Com-

Competitoribus Centurias, ſed etiam certum numerum earumdem, nempe ſupra dimidium ferret.

Qui verò numerum Centuriarum expleſſet, is voce Præconis renunciabatur. Teſtis Cicero in 2. contra leg. Agr. *neque ſingulæ voces Præconum, ſed una voce univerſus Populus Romanus Conſulem declaravit*; Quin, & ipſe Magiſtratus, qui Comitiis præfuerat, clara voce deſignatum renunciabat. Colligitur id ex eodem Cicerone in Orat. pro Murena: *Quæ precatus ſum à Diis immortalibus, more, inſtitutoque Majorum, illo die, quo auſpicato Comitiis Centuriatis L. Murenam Conſulem renunciavi, ut ea res mihi, Magiſtratuique meo, Populo, Plebique Romanæ, benè, atque feliciter eveniret*. Ex quibus etiam indicatur, quæ eſſet formula Conſulis ſucceſſorem ſuum renunciantis: nempe, *Quod mihi, Magiſtratuique meo, Populo, Plebique Romanæ, benè, atque feliciter eveniat, L. Murenam Conſulem renuncio*.

Solutis jam Comitiis, ii, qui Magiſtratum obtinuiſſent, magna hominum celebritate, & frequentia, inter gratulationes domum è Campo dedu-

cebantur. Quod ex eodem Cicerone liquet, 2. in Verre. *Nam, ut Hortensius designatus reducebatur è Campo cum maxima frequentia, & multitudine*. Quod etiam officii genus præstabatur iisdem, cum Magistratu abirent, præcipue si illum præclaris rebus gestis insignem fecissent. Quod Ciceroni contigit, ut ipse gloriatur Orat. in Pison. *Quo quidem tempore (abdicato videlicet Consulatu) is meus domum fuit è foro reditus, ut nemo, nisi qui mecum esset, Civium esse in numero videretur*: qui mos deducendi cum pompa, ac celebritate Domum è Rostris eos, qui Magistratu abirent, etiam antiquis temporibus valuit. Siquidem hæc Liv. lib.23. de Fabio Duteone scripsit: *Ita CLXXVII. cum ingenti approbatione omnium, in Senatum lectis, ex templo se Magistratu abdicavit, privatusque de Rostris descendit, Lictoribus abire jussis: turbæque se immiscuit privatas agentium res, tempus hìc sedulò terens, ne deducendi sui causa Populum de foro abduceret: neque tamen elanguit cura hominum ea mora, frequentesque eum demum deduxerunt*.

Et hæc quidem fuit Comitiorum Centuriatorum forma, eligendorumque

que in iis Magiſtratuum, donec Reſpublica tenuit libertatem : ea verò bellis Civilibus amiſſa, Comitiorum quoque ratio immutata fuit ; omniaque ad victoris arbitrium conſtituta. Siquidem Cæſar, cum jam Dictaturæ nomine, Regiam poteſtatem in Rep. exerceret, ſuſtulit etiam libera Populi ſuffragia. Sic enim de illo Sueton. *Binos Conſules ſubſtituit ſibi in ternos noviſſimos menſes, ita ut medio tempore Comitia nulla habuerit, præter Tribunorum, & Ædilium Plebis; præfectoſque pro Prætoribus conſtituerit.* Et alibi in ejuſdem vita c. 41. *Comitia,* inquit, *cum Populo partitus eſt ; ut exceptis Conſulatus competitoribus, de cætero numero Candidatorum pro parte dimidia, quos Populus vellet, renunciarentur : pro altera parte quos ipſe edidiſſet. Et edebat per Libellos circum Tribus miſſas ſcriptura brevi : Cæſar Dictator illi Tribui : commendo vobis illum, & illum, ut veſtro ſuffragio ſuam dignitatem teneant.* Civilior admodum fuit Succeſſor ejus Auguſtus; nam, ut idem Sueton. teſtatur c. 40. *Comitiorum priſtinum jus reduxit : ac multiplici pœna,* coercito ambitu, Comitiorum die Tribulibus ſuis, *ne quid*

à

à quoquam Candidato desiderarent, singula millia nummum à se dividebat. Idem colligitur ex Dione l. 33. *Populus autem ad Comitia conveniebat, & si nihil tamen fiebat, quod Augusto displiceret.*

At verò Populi animis jam in servitutem compositis, Tiberius Comitia à Populo ad Senatum transtulit, ut apertè Tacitus lib. 1. *Tunc primùm Comitia è Campo ad Patres translata sunt.* Veruntamen in Consulibus eligendis non ita certum, quid sub eo Principe in usu fuerit. Nam ipse Tacitus in finem ejusdem libri primi: *De Comitiis*, inquit, *Consularibus, quæ tum primum illo Principe, ac deinceps fuere, vix quicquam firmare ausim; adeò diversa, non modo apud Autores, sed in ipsius Orationibus reperiuntur.*

Caligula iterum reducere Comitia ad Populum cogitavit, ut Suet. est autor c. 16. *Tentavit*, inquit, *& Comitiorum more revocato, suffragia Populo reddere.* Sed conatus illius, exitum non habuit, & sequuti Principes Tiberii jus tenuerunt. Et quidem sub Trajano Principe Comitia in Senatu habita, testatur Plinius, ut jam supra adnotavimus.

Sub

Sub eo tamen Principe Comitia Consularia in Campo, & per Populum habita, idem Plinius in Panegyrico est Autor: *Vidit, te*, inquit, *Populus in illa vetere potestatis suæ sede:* (hoc est in Campo Martio) *perpessus es longum illud carmen Comitiorum; Consulque factus es, ut unus ex nobis, quos facis Consules*. Et paulò infra, quod spectat ad Comitia Consulum, etiam sub aliis Principibus in Campo Martio celebrata, idem asserit: *Alii marcidi somno, hesternaque cœna redundantes, Comitiorum suorum nuncios opperiebantur: alii sanè pervigiles, & insomnes; sed intra cubilia sua, illis ipsis Consulibus, à quibus Consules renunciabantur, exilia, & cædem machinabantur*. Verùm hæc omnia in speciem acta: cum jam Principes ipsi, quos vellent, Consules designassent. Nec Populus in Campum vocabatur, nisi ut eo coram renunciarentur, jurarentque in acta Principis, ut ad eum Plinii locum sentit Lipsius.

Eandem vanæ libertatis imaginem non nulli alii Principes Populo præbuerunt. Sic Honorium Imperatorem scribit Claudianus in 6. Consul. in Campo Consulem creatum:

Mars

Mars Augusta sui novat suffragia Campi:

idque non tantum in speciem, sed veris suffragiis; ait enim

.... Nec enim Campi solemnis et urnæ Luditur in morem, (ut ante scilicet) *species nec dissona cœtu,*

Aut peregrina nitet simulati Juris imago.

Indigenas habitus nativa Palatia sumunt,

Et patriis Plebem castris sociante Quirino,

Mars augusta sui renovat suffragia Campi.

Et de Antemio Imperatore Consulatum obtinente scripsit Sidonius:

.... *Te punctis scripsere Tribus*: quemadmodum etiam de Aviti Imp. Consulatu

...... *Concurrunt ad puncta Tribus.* Et hæc de Comitiis Centuriatis dicta sufficiant. Jam ad reliqua pergamus.

Tributa nunc restant, in quibus illa eadem præstabantur, quæ in aliis Comitiis. Nam & in eis leges sanciebantur, quæ Plebiscita dicebantur; & Judicia exercebantur; & eligebantur Magistratus minores, ut Tribuni Plebis, Ædiles tam Curules, quàm Ple-

Plebeji, & Quæstores; ac denique mandabantur etiam in iis Sacerdotia. Celebrabat ea Populus per Tribus, idque ratum habebatur, quod plures Tribus jussissent. Erant autem Tribus XXXV. quatuor Urbanæ, nempe Suburana, Esquilina, Collina, Palatina; reliquæ verò Rusticæ, quæ Urbanis, ob agriculturæ laborem, honestiores censebantur, ut Varro, & Plinius testantur: & fuerunt Romilia, Lemonia, Pupinia, Galeria, Pollia, Voltinia, Claudia, Emilia, Cornelia, Fabia, Horatia, Merenia, Papinia, Sergia, Veturia, Crustumina, Vejentina, Stellatina, Tromentina, Sabatina, Arniensis, Pomptina, Popillia, Macia, Scaptia, Ufentina, Falerina, Aniensis, Terentina, Velina, Quirina: quarum nonnullæ à locis, aliæ à præcipuis familiis nomen habuere. Locus, in quo habebantur Comitia Tributa, fuit Campus Martius: jusque habuerunt ea congregandi Tribuni Plebis, Consules, & Prætores. In eis verò omnes Romani Cives Tributim ferebant suffragium: cætera verò servabantur, quæ in Centuriatis. Videatur Gruchius de Comitiis, Manutius, item, & Rosinus lib.5. Antiq. Rom.

FINIS.

JOANNES BERNARDINI

Congreg. Cleric. Regularium Matris Dei.

RECTOR GENERALIS.

CUm Librum Inſcriptum *Syntagma de Ponderibus, & Menſuris, &c. cui noviſſime acceſſit de Veterum Romanorum Comitiis Tractatus, &c.* : Opus Poſthumum Bartholomæi Beverini prędictæ noſtræ Congregationis Sacerdotis, duo è noſtris Patribus, quibus id commiſimus recognoverint, atque in lucem edi poſſe probaverint; ad id & nos facultatem concedimus, ſi ita ad quos ſpectat videbitur.

Romæ è noſtro Collegio S. Mariæ in Campitelli die 16. Septemb. 1711.

Joannes Bernardini.

Syn-

Syntagma de Ponderibus, & Mensuris, cui accessit de Veterum Romanorum Comitiis Tractatus : Opus Authoræ Bartholomæo Beverinio Lucensi ex comisione Illustrissimi, ac Reverendissimi Vincentii Torre Prioris S. Alexandri, & Vicarii Generalis Eminentissimi, ac Reverendissimi Cardinalis Spada Episcopi Lucani attente legi, & cum S. Matri Ecclesiæ, bonisque moribus adversans nihil repererim, quin potius ad erudiendos viros per utile invenerim, prælo dignum judico.

Datum in Canonica S. Mariæ Filicorbi die 14. Julii 1711.

Ego Dominicus Maria Martini
Præp., & S. T. D.

Jussu

Juſſu Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Vincentii Torre Prioris Collegiatæ Eccleſiæ S. Alexandri, & Vicarii Generalis Eminentiſſimi, ac Reverendiſs. Domini Cardinalis Spadæ Epiſcopi Lucani perlegi: *Syntagma de Ponderibus, & Menſuris, cui acceſſit de Veterum Romanorum Comitiis Tractatus*, collectum à celeberrimo Viro P. Bartholomæo Beverini omnium virtutum genere ornato, editiſque variis ingenii ſui monumentis præclariſſimo, & dignum publica lucæ cenſeo ad multorum utilitatem, ac eruditionem.

Die 4. Julii 1711.

Marius Florentinius.

Imprimatur.

VINCENTIUS TORRE VIC. GEN.

PHILIPPUS DE JUSTIS PRO ILL. OFF. SUPER JURISD. PRÆP.